







CONCIONES TRES, TRIBVS PVBLICARVM PRECATIONVM

Diebus 31. Ianuarij, 1. 2. Februarij Ecclesiæ proponendæ.

PETRVS IOHANNES VINSTRVPIVS.

Ierem: 4.
Ablue à malicia cor tuum, ô Ierusalem, vt salueris.

HAFNIÆ
Impreßit Iohannes Stockelmannus.
Anno 1592.

ALCIMVS.

Pœnitet ambiguè, quem ſero pœnitet: Ergo
Præſentis ſpacium nobis dum creditur æui,
Dum patulam cunctis Chriſti clementia ſeſe
Præbet, præteritæ plangamus tempora vitæ
Dum licet, & ſano ingenioq́ animoq́ valemus.

CONCIO PRIMÆ DIEI.

Ad Romanos: 2.

AN diuitias bonitatis eius & tolerantiæ ac longanimitatis contemnis? Ignorans quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit.

Sed pro duritia tua & corde pœnitere nescio, Thesaurizas tibi iram in Diem iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.

Qui reddet vnicuiq; secundum opera ipsius: Iis quidem, qui per patientiam boni operis, gloriam et honorem et immortalitatem quærunt, vitam æternam: ijs verò, qui sunt contentiosi & qui veritati quidem non obtemperant, sed obtemperant iniusticiæ, reddetur ira & indignatio, afflictio & angustia, super omnem animam hominis perpetrantis malum, etc.

Matth. 24.37
Lucæ 17.26

FIlius DEI nouissimi seculi mores apud Matthæum et Lucam descripturus, Eandem fore hominum conditionem ante extremum aduentum suum, quæ olim temporibus Noë ante perniciosam eluuionem & Sodomorum ante horrendam sulphurei ignis conflagrationem, extitit, prædicit. Quemadmodum, enim qui tunc vixêre homines, spretis et contemptis omnibus salutaribus preconum iusticiæ monitis, commessandi & heluandi insatiabili studio, spurca libidine, luxu & fastu, omniq; turpitudine & impietate diffluebant: donec horribili interitu ad vnum omnes deleti sunt: ad eundem etiam modum vltimi seculi homines. iisdem carnis studiis, impuris moribus, præsentis vitæ deliciis & securitate profana, occupatum iri affirmat.

2. Timoth. 3.1.

Similiter & Paulus de hoc eodem tempore loquens, prædixit fore in

nouis-

nouiſsimis diebus periculoſa tempora & venturos eſſe homines horrendis flagitijs ſecurè indulgentes, quorum finis futurus ſit interitus.

Talem eſſe hanc, in quam nos incidimus, poſtremam, deliram & ad præcipitem ruinam inclinatam, mundi ſenectam, nemo noſtrûm eſt, niſi cuius animo & oculis, impietatis nox tenebras plus quam cimmerias offudit, qui non videat & experiatur.

Si enim penitius mortalium nunc in terris degentium mores introſpexerimus præſentiſq; ſeculi faciem diligentius conſiderauerimus: Experiemur totum mundum in maligno, non poſitum ſaltem (vt diuus Iohannes de ſuo ait ſeculo) ſed penitus ſubmerſum eſſe, & non aliter, imô longè deterius vitam nunc inſtituere & mores formare ſuos, quam, qui in primo, eoq; deploratiſsimo vixêre ſeculo. Cedô, Quis noſtrum eſt? Qui non videt & experitur, omnia omnis generis

flagitia impune inter omnes grassari? Et veluti postliminio omnem iniquitatem ab inferno reuocari? Vt vix vnum, quod vnquam ab initio seculi viguit scelus, tàm atrox, tamq́; tetrum & abominandum dicas aut inuenias, quod non inter eos hodie, qui de Christi nomine & verbo gloriantur, Regniq́; cœlestis ciues & domestici Dei esse volunt, potenter extet & vigeat.

Tanta namq́; ingenij humani incurabilis malicia est & horrenda securitas: vt cœco impetu, in quæuis flagitia furenter ruat atq́; feratur: vnde eos sibi merito tandem, non aliter ac prioris seculi homines, fatales pœnas, exitium & interitum extremum attrahere & accelerare, nemini dubium esse potest.

Regnat vbiq́; fere immanis & Cyclopicus DEI contemptus, verbi diuini & sacramentorum horrenda profanatio, cultus diuini totiusq́; religionis syncerae fastidium

perni-

pernicioſiſſimum, diræ execratio-
nes, periuria, artes magicæ & præ-
ſtigiæ Diabolicæ. Videmus rabi-
em & furorem Diabolorum & ho-
ſtium Euangelij quotidie magis
magiſq; creſcere & inualeſcere: Ec-
cleſiæ perſecutores crudeliſſime in
membra Chriſti deſæuire. Nouæ
ſubinde hæreſes paſſim oriuntur:
ſparguntur contra orthodoxam fi-
dē errores deteſtabiles: Pullulant
inter eos, qui ſe Eccleſiæ capita
eſſe gloriantur, virulentiſſima cer-
tamina & odia, inq; mutuas rixas
et contentiones exardeſcunt. Pluri-
mi in medio Eccleſiæ cœtu ſe totos
Epicureiſmo, petulantiæ, fraudi, in-
iuſticiæ, auaritiæ, liuori, vſuris vo-
raciſſimis, violentiæ, crudeliſſimæ
tyrannidi, libidini, faſtui & luxui
(cui vt ſufficere poſsint, ſubditos de-
glubunt atq; ſpoliant) aliorūq; ne-
fandiſsimorum ſcelerum turpitudi-
ni, dedunt & mancipant: quibus
ſic implicantur, vt quæ æternam ip-
ſorum ſalutem atq; diuini nominis

 gloriam

gloriam concernunt, prorſus non videant aut animaduertant: Verum peſsimis ſuis cupiditatibus ſic indulgent, ſicq; addicti manent, vt prorſus nolint admittere vllam reprehenſionem, quando ad pœnitentiam vocantur.

Job. 1.

Nec mirum: Ingreſſus enim eſt Sathan ad Filios Dei & vt Ioh: Apocal: 12. ait: Deſcendit Diabolus ad nos, iræ magnæ plenus, & magna mundi agmina ad æternas blaſphemias abripere conatur, ſcit enim ſe paululum temporis habere: Ideoq; tantò nunc furioſius graſſatur, eoq; maiores odij flammas concipit, quo propius extremum diem & æternam ſuam, ſuorumq; condemnationem aduentare perſentiſcit.

Talis rerum facies hodie cùm ſit, mirum non videbitur, atrociſſimis pœnis implicari totum genus humanum: Maturuerunt iam noſtra ad pœnas peccata: Vt breui virga ferrea (niſi ſerio & ex animo

mature

mature reſipuerimus) nos caſtigare & furoris ſui poculum in nos effundere velle videatur iudex iuſtiſſimus. Conſideremus nos qui metu liberati, dulciſſimo tranquillitatis beneficio hodie gaudemus & alta pace fruimur, non intra parietes domeſticos, non intra mœnia ſolum, Sed in agris, ſolo & ſalo, quam acerbum furoris poculum vicinæ gentes, bello diuturno et funeſto, ciuili & externo, ſeditione interna, fame, peſte alijſq; calamitatibus, tàm priuatis quàm publicis ſeuero Dei iudicio exhaurire coacti ſint? Et quàm horribiliter Sathan etiamnum omnibus modis & machinis omniq; fraude & ardore Ecclesiam Chriſti pioſq; cœtus oppugnet ſuſq; deq; vertat et inuertat vt eam tandem opprimat atq; perſundet.

Conſideremus quid nobis ipſis paucis retro numerandis annis euenerit: Quæ hic iræ diuinæ ſigna apparuerint, quæue Deo propter pec

cata vehementius irato aſpera & grauia paſſi fuerimus, quorum adhuc in animis, oculis & auribus noſtris veſtigia impreſſa hærent: vt neceſſarium non ſit, propria vel aliena, domeſtica vel publica pericula percenſere copioſius, aut luctuoſiſſimam temporis illius memoriam renouare. Tantum dico, vt his ſeriò commonefacti, ad horrendas DEI comminationes expaueſcamus & contremiſcamus: nec vlterius patiamur nos publico impiiſſimi mundi exemplo, in flagitia eorumque pœnas acerbiſsimas abripi: quod vere fiet, ſi diuinorum beneficiorum memoriam fœda obliuione contriuerimus, comminationum & pœnarum denunciationem ſurda aure & auerſa mente præteriuerimus, atque prioris vitæ errata ſalutari pœnitentia maturè non diluerimus. Securis enim ad radicem arboris poſita eſt: omnis arbor, quæ non facit fru-

ctum, exſcindetur & in ignem con-
ijcietur.

Admoniti ſumus ſatis ſuperq;
& indies adhuc, comminationibus,
ſignis & prodigijs, triſti ferè omni-
um rerum ſtatu, tragico multorum
exitu, diuinitus & humanitus ad-
monemur: minatur cœlum, mina-
tur terra, clamant miniſtri verbi
diuini, veluti fideles ſpeculatores
& excubitores ciuitatis DEI, hor-
tantur, minantur, inſtant, vrgent,
tempeſtiue et intempeſtiue, vt Pau-
lus monet.

2. Timoth. 4.

Verum plurimi (proh dolor)
deteriores inde facti in malicia ma-
gis magiſq; obdurantur, Deiq; iu-
dicio craſſiſsimum opponentes ſtu-
porem, inde non magis mouen-
tur, quam ſi dura ſilex aut ſtet
Marpeſia cautes. Quo etiam fit,
vt ſalutaris ipſis Euangelij vox,
odor fiat mortis ad mortem, nec
vllus amplius emendationi locus
ſupereſſe videatut. Atq; ideo certo
certius eueniet, quod apud Salo-

monem

Salom. 1. monem dominus talibus denunciat cum ait:

Quoniam ego vocaui & non obtemperaſtis, extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum & increpationes meas neglexiſtis. Ideo & ego in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, cum vobis id, quod timebatis, euenerit. Cum irruerit repentina calamitas & interitus veſtri, quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane quærent me & non inuenient me: Eò quod exoſam habuerunt Diſciplinam meam & timorem Iehouæ non elegerunt, nec acquieuerunt conſilio meo, Spreuerunt vniuerſam increpationem meam.

Remedio per uni[illegible]

Nullum proinde tutius perfugium ſupereſſe videmus, quam vt ab irato & peccatis noſtris multiplicibus offenſo Deo ad eundem

miſeri-

miſericordem & longanimem vera fiducia mediatoris confugiamus: Solus enim ille eſt, qui peccata pœnaſq; tollit, iram ſuam lenitate temperat, ſeq; ipſum omnibus veram pœnitentiam agentibus benignum & propicium exhibet, quibus etiam bonorum omnium fontem vberrimum aperit.

Ad hunc igitur omnes ſitientes, laborantes & onerati, quocunq; miſeriarum genere confugiamus, nuncq; diſcuſſis mentis tenebris ac deterſo peccatorum veterno, cum fiducia accedamus ad Thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur & gratiam inueniamus ad auxilium oportunum, ab eo, qui ſolus omnes languores ac maledictiones in ſe transtulit, noſtraq; vulnera ſuo ſanguine & liuore ſanauit & deinceps ſanare atq; penitus nos liberare velle indubitato promittit.

Matth. 11.

Huius etiam rei gratia pijſſimi magiſtratus noſtri ſalutari decreto hoc

hoc triduum ſolenne peragimus & in cœtus pios coimus: vt ſumma alacritate & ardore, veris gemitibus & intimis cordis noſtri ſuſpiriȷ̃s, omnem nobis neceſſariam opem & præſidium, contra Sathanæ violentiam, peccatorum fœditatem, pœnarum acerbitatem, imminentem calamitatem & omnium hoſtium noſtrorum nefaria molimina, vera fide & flagranti precatione à Deo opt: max: flagitemus & emendicemus.

Tu igitur æterne & miſericors DEVS, aufer omnem iniquitatem noſtram & inflamma corda noſtra ſpiritu tuo ſancto: vt te per Filium tuum, ſedentē ad dexteram tuam, pro nobis intercedentem ſic accedamus, vt verè & ex animo peccata noſtra agnoſcamus, omnemq́ noſtram immundiciem defleamus: & in hoc difficili precationis labore tua gratia obſignetur in mentibus noſtris vera fides, quâ, audita promiſsione de gratuita condonatione

omni-

omnium delictorum noſtrorum, vere ſtatuamus nos in gratiam recipi, atq; in poſterum delectemur mandatis tuis, reluctemur omni impietati & tibi obediamus: idq; auxilio Spiritus ſancti tui, cuius interpellatione clementer exauditis precibus noſtris, omnia ſalutaria ad gloriam tuam & noſtram temporariam & æternam ſalutem impetremus & conſequamur, Amen.

Textum hunc Pauli, quem ideò propoſui, vt initio litaniarum noſtrarum omnes obſtinatos & inſenſatos verbi diuini contemptores, qui clauſis oculis in ſcelera peccandiq; licentiam petulanter ruunt, ad veram pœnitentiam & conſiderationem diuinæ erga ſe bonitatis, atq; ſuæ ipſius peruerſitatis, excitarem in tres partes diſtribuam.

I. De inexhauſta bonitate & patientia DEI differentis pœnam: vt ad pœnitentiam inuitet.

II. De obſtinata & præfracta malicia atq; ſecuritate hominum, impu-

impunitatem ſibi perpetuam ex dilatione pœnarum promittentium.

III. De comminatione pœnæ, quæ eſt ira DEI & finalis interitus omnium reproborum: & præmij et felicitatis iuſtorum idq; in die reuelationis iuſti iudicij.

DE PRIMA PARTE.

An diuitias bonitatis illius ac tolerantiæ lenitatiſq; contemnis? Ignorans quod bonitas Dei te ad pœnitentiam inuitat?

GRauis hæc eſt pœnitentiæ concio, qua Apoſtolus obſtinatam hypocritarum & reproborum maliciam & ſecuritatem accuſat: Qui etſi quotidie fauoris diuini manifeſta erga ſeſe indicia ſentiebant & DEI iudicium ſeu pœnas peccatis ſuis iuſtiſſime debitas, longiſſimo à ſe interuallo amoueri, inq; longum temporis ſpacium protelari videbant:

bant: Scientes nihilominus & volentes in peccatis ſuis petulanter & contumaciter perſeuerabant, craſſiſsimum ſtuporem, DEI *iudicio* opponentes eiuſq; propoſitum, quod erat, vt benefaciendo conuerteret, incontrarium finem torquentes, impunitatem ſibi perpetuam promittebant.

Hiſce ob oculos ponit & in mentem ſtupidam, reuocat immenſam DEI benignitatem in benefaciendo, patientiam in ferendo & longanimitatem in differendo pœnas commeritas: & contra illorum exaggerat peruerſitatem ac contumaciam in contemnendo bonitatis oblatas diuitias, qui propterea ſibi DEVM benignum putabant, quod rerum externarum proſperitate affluebant & commeritas pœnas de die in diem differri videbant, horum itaq; opinionem conuellit Apoſtolus, & monet non ideo differri pœnas, vt in læto & ad voluntatem fluentis fortunæ, quem ſibi

gratulabantur, lusu, secure peccarent, sed vt illa bonitatis ac lenitatis diuinæ copia ad resipiscentiam inuitarentur & prouocarentur.

Duo igitur huius loci membra sunt, quorum primum fundamentum & causam impulsiuam. Alterum causam finalem nostræ incolumitatis complectitur.

An diuitias bonitatis, &c. contemnis?

Duo 1 huius lenitatis servatorum in ... interrogatione

INitio interrogatione vtitur Apostolus, vt conscientiam delitescentem & sopitam vehementius feriat atq; perstringat, suiq; ipsius testimonio conuicta, diligentius in quanto versetur discrimine, expendat: estq; sensus: tune tantæ, ô homo, cœcitatis et ignauiæ es, vt bonitatem luce meridiana clariorẽ multis infallibilibus testimonijs erga te testatam & declaratam non videas? Teq; non tua innocentia sed DEI longanimitate hactenus seruatum esse consideres? Hæcne est illa gratia,

tia, quam Deo benigno ac longanimi refers popule stulte & insipiens, pro summa tibi indulta gratia: ipso cumulante te bonis suis & differente pœnas commeritas: vt nunc tandem contumeliã rependas & liberius peccandi occasionẽ inde arripias.

Quæsitum sæpe à sapientibus hominibus est, & adhuc multorum animos exercet cogitatio, cur non omnes homines à Deo statim puniantur, cum omnes sine exceptione rei sint peccati & mortis, sed quidã pœnas luant, quidam vero impune euadant. Trucidantur Galilæi, Samaritani non: delentur Thebæ armis Alexandri, non delentur Athenæ, vbi non minus scelerum erat.

Plutarchus in libello de sera numinis vindicta, causas huius consilij diuini anxiè quærit, sed eas assequi suo acumine non potuit & nimis languide respondet.. Verum Paulus hoc loco, causam dilationis & mitigationis pœnarũ euidentissimam ponit DEI bonitatem, affir-

mans eum pœnas ideo differre, quia non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Non secus ac prudens Medicus, qui non ad vstionem aut sectionem properat, sed pharmacis omnia prius experitur. Solam proinde causam nostræ incolumitatis & dilationis pœnarum, quod non dudum consumpti sumus, non DEI impotentiam, quód non possit punire, aut nostram innocentiam, dignitatem aut meritum, sed DEI gratuitam misericordiam esse indicat, quam triplici adiuncto describit. 1. benignitate. 2. patientia. 3. longanimitate.

I. χρηστότης benignitas in DEO virtus est, qua sua natura in creaturam præcipue ad imaginem suam conditam propendet, dum non vt debitor aut πλεονέκτης, id est, emolumenti sui causa: sed sua sponte, nullo prouocatus officio aut merito, voluntate & felicitate propensissima & expeditissima ad benefacien-

ciendum, iuuandum, conſeruandum & liberandum paratus eſt, ſine omni remunerationis ſpe, Omnibus etiam ignotis, nec petentibus communicationem officiorum. Quemadmodum enim Diabolo eiuſq; membris ἐπιχαιρεκακῖς perpetuum & indefeſſum nocendi & perdendi ſtudium ineſt: ita modo contrario, Deo perpetua propenſio, ſumma facilitas et alacritas opulenter benefaciendi & de creatura ſua optime merendi adhæret: idq; non ſemel aut iterum, ſed identidem ſine omni faſtidio & fatigatione verbis & factis exercet.

Eſt enim bonitas hæc ἀμέτρητος καὶ ἀναρίθμος, quam nulla temporis aut loci circumſcriptio metiri poteſt, nec vlla oratio enarrare, imò mens nulla neq; angelica neq; humana cogitatione complecti poteſt. Teſtantur hoc beneficia corporalia & ſpiritualia, poſitiua & priuatiua.

Ac propterea diuitias bonitatis:
vocat Apostolus more scripturæ, vt copiam & amplitudinem tantæ virtutis in Deo ostendat, quæ veluti fons vberrimus & inexhaustus, cornucopiæ atq; refertissimum promptuarium existit: vnde liberalissime dona multiplicia, corporalia & spiritualia vltrò fluunt. Ex quo etiam, omnes gratuitò vbertim haurire, affatim petere & indiscriminatim accipere queunt. Esai: 55. Venite, emite absq; pecunia. Psalm: 34. Gustate & videte quàm suauis est Iehoua. Iohan: 1. De plenitudine eius omnes accepimus. Ephes: 3. Deus diues in misericordia. Iacob. 1. omnis donatio bona & omne donum perfectum, &c.

Vsus.

1. Hoc propensissimum benefaciendi studium hancq; Dei benignitatem, quâ sic voluntariè, indefesse, sine omni remunerationis spe, genus humanum, præcipue vero Ecclesiam suam afficit, gratis mentibus

tibus agnoſcamus & celebremus, vt in Pſalm: dicitur: quid retribuam domino, &c.

psal. 116

2. Vt de Dei erga nos bonitate nequaquam dubitemus aut deſperemus, cùm ſciamus illum omnis boni perennem fontem eſſe & hoc potiſsimum nomine homines condidiſſe, vt haberet, quos bonorum ſuorum conſortes faceret.

ad confidentiam

3. Vt imitatione benigni DEI ſtudeamus indefeſsè de proximo bene mereri.

ad imitationem

Altera virtus in Deo, quæ noſtræ incolumitatis cauſa conſeruans eſt, tolerantia à Paulo nominatur, qua patienter fert omnes infirmitates, lapſus, iniurias & præuaricationes noſtrás, atq; eos, qui dictæ bonitatis diuitias contempſere & faſtidiuere, peccata quaſi diſſimulans tolerat.

II. ανοχὴ

Hæc in Deo virtus lenis, tranquilla, blanda, moderatur iuſtum in ipſo furorem, ne ſubito excandeſcat, aut puniat: ſed ſpe emen-

dationis cedit hominum iniuriæ & à ſuo iure recedit, vt pœnitentiæ locus ſit.

Hæcq́ in Deo tanto illuſtrior eſt, quod non ſolum eos, qui infirmitate carnis, aut naturæ corruptibilis fragilitate in peccata labuntur, tolerat: ſed etiam indigniſsimos, qui certa malicia & propoſito deliberato delinquunt, atq́ manifeſtiſſimis ſceleribus ſeſe fœde contaminant, non ſine moleſtia & tœdio ſuffert, iiſq́, qui nullam bonitatem meriti fuerant, benefacit, in ſalutem illorum, modo conuerti velint, vt Chriſtus ipſe Matth: 5. teſtatur: Sinit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos.

Ac quamuis noſtra interdum contumacia virtus pœnas ſcelerum exigat: in ira tamen recordatur miſericordiæ, & lenitate rigorem temperat, non ſecus ac benignus pater, cui blanda ſemper mens & amica voluntas. Imò omnem naturalem στοργὴν parentum longe ſupe-

ſuperat hæc in Deo lenītas & tolerantia, Eſa. 49. Pſalm. 103. miſerator & miſericors dominus, tardus ad iram & multæ bonitatis. Iohelis 2. dominus patiens eſt & multæ miſericordiæ. Tob. 4: Non delectaris domine perditione noſtra. Ezech. 33. & Sapien. 11. Deus non vult aliquem perire, ſed delectatur couerſione noſtra.

Tertia in Deo virtus, quæ noſtræ incolumitatis cauſa exiſtit, longanimitas, ſeu vt Paulus nominat, μακροθυμὶα eſt, quæ adhuc maius quid in Deo oſtendit quam ἀνοχὴ, eſt enim ſummus gradus tollerantiæ et lenitatis in Deo, quam nec īndignitas ſcelerum vincere, nec temporis diuturnitas frangere poteſt. Verum ad ſcelera diutiſsime conniuet, & ferocitatem impiorum hac ſua lenitate mitigare emollireq́ conatur. Iraſcitur quidem grauiſſime peccatis noſtris: non tamen, iniurĳs prouocatus, aut ignominia affectus præcipitat iram ſuam, nec

ad vltionem vel supplicium inferendum properat, more hominum, quibus acris statim naribus bilis insidet, vbi leui saltem iniuria affecti fuerint: vel etiam aliquamdiu iram suam dissimulantes, occasionem quærunt sese commode vlciscendi, quam vbi nacti fuerint, omnem in proximum furorem euomunt, vt ipsum perdant.

Verùm hic tantæ lenitatis & tam multus ac copiosus in misericordia est, vt motum animi sui reprimat & malit rerum naturam mutare & inuertere, suamque iusticiam frangere ac furorem misericordia temperare, quam punire aut perdere: idque non semel aut iterum, sed de die in diem, donec vel minima emendationis spes vspiam affulserit.

Huius in DEO μακροθυμίας passim in scriptura occurrunt plurima illustria. 1. testimonia. 2. figuræ. 3. exempla. 4 [illegible]

Esa:

Eſai: 30. expectat dominus vt miſereatur veſtri. Pſal: 103. Non ſecundum peccata noſtra facit nobis, neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. 2. Pet: 2. Domini noſtri patientiam ſalutem arbitramini. Pſalm: 130. Si iniquitates obſeruaueris domine, &c. Exod: 34. Threnorum 3. miſericordiæ domini quod non conſumpti ſumus.

1. Teſtimonia.

Eſa: 5. Ponitur illuſtris ſimilitudo de vinea. Expectauit vt gigneret vuas & peperit labruſcas. Similiter, Matth. 21. Lucæ 22. parabola nuptiarum. Lucæ 13. de ficu. Lucæ 7. de debitore.

2. Figuræ.

Teſtantur idem exempla. Poterat Deus primos parentes poſt horrendam defectionem et Apoſtaſian cum Diabolis in æternum exitium præcipitaſſe: Verum blanda illos voce alloquitur, non execratur ſed conſolatur, concedit locum pœnitentiæ, pœnas æternas vertit in temporales, & dulciſsimam de futura liberatione promiſsionē edit.

3. Exempla.

Homi-

Hominibus primi seculi ante diluuium, 120. annorum concedit pœnitentiæ spacium.

Clementiam suam, in colloquio cum Abrahamo, de puniendis Sodomitis, clare ostendit, Gene: 18. Manassen decennali exilio admonet, populum suum ante captiuitatem in Babel & perditionem in Ierusalem, multos annos pertulit. Meruerat Petrus, sua profana abnegatione, hiatu terræ absorberi, & finaliter à Deo abijci: verum dominus & pœnitentiæ locum dedit, & ipsum aspectu suo benigno iuuit.

3 Universali [illegible] Sed quid exemplis opus est, cum indies experiamur omnes & singuli, nos hac lenitate & longanimitate Dei, hucusque seruatos esse, qui etsi multis magnisque peccatis à nobis irritatus sit, nobis tamen placabilis fuerit, culpam remiserit, & pro malis ingentia bona rependerit. Hanc proinde concionem Pauli & similes legentes, dicamus cum Propheta: misericordiæ domini quod

non

non consumpti sumus. Cogitemus singula peccata nostra mereri subitam mortem, sicut, sæpe homines scelerati ἐν αὐτοφώρῳ subito interempti sunt, vt Chore, Phinees, Baltazar, &c. Nequaquā igitur hac bonitate abutamur, aut in nostram ipsorum condemnationem, Deiq́ꝫ ignominiam vertamus: sed accusemus nos vero cordis gemitu & fiducia mediatoris, reuertamur ad Deum nostrum, petentes nobis ignosci peccata, nosq́ꝫ in gratiam recipi & sanari.

Ad pœnitentiam inuitat.

Alterum membrum huius loci, continens causam finalem, cur Deus tanta benignitate & longanimitate peccatores sufferat & ad peccata illorum conniueat: cum sit Deus nolens iniquitatem, & habeat potestatem mittendi extemplo impœnitentes in Gehennam: nempe vt ad pœnitentiam inuitet.

Ad

Hæc enim vera cauſa eſt, cur Deus nos verbo vocat, promiſsionibus allicit, periculis terret, ſignis admonet, iram differt, pœnas mitigat, & quoduis opus facit, vt ſuum in nobis opus faciat, & ſit nobis in viam ſalutis redeundi occaſio. Eſa. 28. 2. Pet: 2. Longanimitatẽ domini Ieſu Chriſti ſalutem arbitramini.

Non igitur portendit Dei patientia, qua ad tempus ſuffert peccatores innocentiam noſtram aut impunitatem perpetuam, quod ſcelera vel negligat vel inulta velit. Sed tantum hac lenitate occaſionem præbet, verè & ex animo maturè dolere & ingemiſcere propter peccata. Hocq; modo conatur nos ad ſe conuertere & adducere: quod niſi fiat, longanimitas ipſius, quæ ſuum tandem terminum præfixum habet, in furorem & lenitas in vltionis diuinæ vehementiam vertetur. Eius rei exempla paſsim traduntur in ſcriptura, quæ iuſtum ſcelerum vltorem Deum oſtendunt, præſertim

tim

tim vbi tolerantia sua contra obstinatos nihil profecit. Hæc igitur docent nos timorem Dei, vt cum in peccatis nobis bene cesserit, non ideo putemus Deum vel nescire vel non odisse peccatum. Sed patientia sua nos ad pœnitentiam adducere.

Vocabulum μετάνοια, quod hoc loco vsurpat Apostolus, Totam hominis conuersionem eamq́ salutarem significat, qua peccator seriò & ex animo agnoscit & confitetur omnes præuaricationes suas, errantes motus cordis, voluntatis auersionem, prauarum cupiditatum flammas, perniciosa in Deum & homines dicta factaq́. Quibus sic afficitur, vt totus exhorrescat & contristetur, damnante eum corde & conscientia propria, œstro legis & iræ diuinæ terrore exstimulata exagitataq́. Ex quo tandem, spe gratuitæ remissionis, per sanguinem agni immaculati acquisitæ, viua fiducia eluctatur, seq́ erigit, sine omni hæsitatione statuens,

sibi

ſibi iuxta dulciſsimas promiſsiones Dei, omnia peccata remiſſum iri, iuſticiam filij Dei ſibi applicari, & hæredem vitæ æternæ deſignari. Vnde etiam in poſterum cauet lapſus contra conſcientiam & ex præceptis diuinis inſtituta vita, ſtudet ſeipſum incontaminatum mundo ſeruare.

Hæc Deo gratiſsima eſt, eaq́ꝫ delectatur maximè, quemadmodum ipſe apud Prophetam teſtatur inquiens: Ad quem reſpiciam niſi contritum corde. Pſalm. 51. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, &c. Idq́ꝫ ideo, quia per hanc tribuitur Deo, cui reconciliamur, ſuus honos, extollitur Chriſti meritum, reſtituitur in nobis iuſticia amiſſa, opus ſuum in nobis perficit ſpiritus Dei & nos obedientiam noſtram Deo viciſsim declaramus.

Vox *inuitat*, ἀγᾷ in græco, ſignificat Deum non ſolum delectari hac hominis conuerſione, verumetiam ſpiritu ſuo velle iuuare & manu

manu quaſi ducere in viam ſalutis, modò ad ipſius verbi preconium faciles & conuertibiles nos præbeamus. Vt dicitur Roman: 8. Ipſe ſubleuat infirmitates noſtras. Verum de his concione craſtina.

DE SECVNDO.

Sed iuxta duritiem tuam & cor pœnitere neſcium Theſaurizas tibi iram in die iudicij.

QVid interea dum benignißimus DEVS, omnibus indiſcriminatim, ſuæ bonitatis diuitias offert, patientia & lenitate peccata ſuffert atq; longanimitate pœnas differt, agant homines obſtinati & incurabiles, oſtendit hic locus: nempe, quòd cùm proſperè habeant & ſe extra infortunij iactū eſſe imaginantur, & quia non confeſtim damnationis profertur ſententia, abſq; vllo timore mala perpetrant,

 deſpi-

despiciunt & subsannant omnia iudicia diuina, contemptisque huius bonitatis diuinæ diuitijs, cœcitate mentis & corde duro & pœnitere nescio thesauros iræ in diem reuelationis iusti iudicij sibi accumulant coaceruantque. Vt dicitur Eccl: 8. Quia non cito fit iudicium ideo æstuat cor ad scelerate faciendum.

Huius furiosæ licentiæ & obstinatæ duritiei duplicem causam hoc loco ostendit Apostolus: *Ignorantiam*, & duritiem seu cor ἀμετανόητον, ex quibus duo perniciosi effectus sponte fluunt. *Contemptus Dei & Thesaurus iræ.*

Ignorans, Prima causa est ignorantia, quæ à Paulo alibi cœcitas, caligo & stupor mentis dicitur, qua in rebus diuinis et ad salutem pertinentibus prorsus cœcutit & obstupescit mens hominis, nec illuminari desiderat. Tristis enim quædam caligo mentes hominum ita per peccatum occupauit, vt quæ Dei sunt non per-

cipi-

cipiant, ſed in manifeſtis etiam DEI operibus plane cœcutiunt. Vt Sodomitæ, Gene: 19. non vident ſe ſpoliatos vera iuſticia, deſtitutos gloria Dei, non ſentiunt aut agnoſcunt ſua vulnera lethalia per peccatum inflicta, non vere timent iram DEI & iudicium eius, non quærunt remedia in verbo monſtrata: ſed potius in hac cœcitate hærentes & in peccatis perſeuerantes, ſolum quæ carnis ſunt ſapiunt, & tenebrarum opera ſedulo perficiunt, donec in caliginem æternam & tenebras exteriores abijciantur.

1. Cor. 2.

Matth. 8.

Habent quidem homines non ſolum partem illam naturalis luminis, quod illorum mentibus in prima creatione indidit Deus, atq; deinceps tabulis inſculptum, promulgauit, vnde Deum eiuſq; voluntatem cognoſcere poſſent, verũ etiam clariſsimum doctrinæ cœleſtis lumen, quod Filius Dei ex ſinu patris attulit, de reſtitutione generis

humani, de gratuita peccatorum remiſsione, iuſticia & vita æterna, quod ſacrilegè aſpernantur, neq; vlla inquirendæ veritatis curâ tenentur, ſed potius opiniones falſas & à verbo Dei alienas ac cultus profanos amplectuntur eoſq; probant. Quod & Iahan: cap: 1. conqueritur: lucem videlicet cœleſtem in tenebras huius mundi ſparſam eſſe, & paſsim radios ſuos emittere atq; lucere: ſed tenebras eam non apprehendere. Vtinam eius ignauiæ & cœcitatis inter nos hodie non inuenirentur plurimi: qui ad ſalutarem Euangelij doctrinam luce meridiana clariorem cœcutiunt & triſti caligine inuoluuntur, dum diuinæ lucis radijs illuſtrari nolunt.

2. Cor. 4. Deus enim huius ſeculi excœcauit ſenſus incredulorum, ne illuceſceret illis lumen Euangelij gloriæ Chriſti.

Deploremus igitur hanc humani ingenij cœcitatem & nobis caueamus à malicia Diaboli, qui omni

arte

arte & studio omnem Dei noticiam in mentibus hominum obscurare & labefactare molitur. Diligenter videamus quomodo accurate incedamus, non vt insipientes sed sapientes, & quotidie petamus nos diuinitus illustrari, & discussis mentis tenebris, radijs spiritus Dei doceri & illuminari, cum Propheta dicentes: da mihi intellectum & viuam: & Psal: 13. illumina oculos meos ne obdormiam in morte.

5. Ephe. 5.

Psalm. 119.

Altera causa impœnitentiæ, cordis durities est, seu vt Paulus hoc loco ait, ἀμετανόητον cor. Dixi antea μετάνοιαν significare veram & salutarem conuersionem: ita contra ἀμετανόητον cor, mentem significat, quæ nullo salutaris pœnitentiæ sensu afficitur, sed tristis in ea hæret stupor & contemptus iudiciorum diuinorum. Cùm peccator nec incomprehensibili Dei bonitate lenitur, nec peccati turpitudine afficitur, nec iræ diuinæ sensu tangitur, non minis frangitur, nec formidine suppli-

2. Cordis [illegible]

ciorum flectitur, vt resipiscat: sed partim innata malicia, partim peccandi iugi consuetudine, Sathana frigidam suffundente, obdurescit & callum obducit, Deiq; iusticiæ insultat contumaciter, de quo dominus ipse apud Prophetam conqueritur: scio quia durus es tu et neruus ferreus ceruix tua et frons tua ænea. Talis erat Pharao, cuius cor etiam nullis grauissimis minis et signis terribilibus emolliri potuit, vnde iusto Dei iudicio exigente id malicia eius in mentem reprobam, & tandem exitium æternum coniectus est.

Esai. 48.

Huius farinæ tempore Nöe & Loth pœnitentiam in Sodoma prædicante plurimi inueniebantur: Similiter Prophetarum, Christi & Apostolorum temporibus, & sequentibus seculis extitere: nec dubium, quin nouissimo hoc seculo, quando Filius Dei expectabitur iudex, infinitus talium numerus futurus sit, qui salutis suæ prorsus obliti, crassum stuporem Dei iudicio

2 Tim 3. 5.
2 Pet 3

sint

ſint obiecturi. Teſtatur hoc tota ſcriptura & præſentis ſeculi ſchema oſtendit manifeſtiſsimè.

Facit quidem Deus quod ſuum eſt, et vt tales emolliat et conuertat, rerum omnium ſatagit. Sed canens carmen prauo cordi infundit acetũ ſuper Nitrum, vt Salomon ait, hoc eſt, impij admoniti ſalutari doctrina, fiunt rabioſiores, non aliter ac nitri mordacitas affuſione aceti augetur. ô Diabolicam obſtinaciam, dedi illis inquit dominus tempus ad poenitentiam et abutuntur eo in ſuperbiam. Nos itaq; dum poenitentiæ locus eſt, expergiſcamur, exemplo Niniuitarum, Dauidis, Manaſſis, Petri & aliorũ, quibus in tempore admiſſa diſplicuere ſcelera, poenitudine vera & non fucata ducamur et petamus corda noſtra malleo illo contundente molliri & gratia ſpiritus ſancti affundi, vt vere conuerti poſsimus, ob peccata ſerio ingemiſcentes & dolentes, in Chriſto viuificemur & conuerſionem noſtrã vero fidei fructu teſtemur. Ex

Job. 24.

Jerem. 23.

Ex his causis fluunt duo perniciosi effectus.

1. Contemptus Dei ingratissimus.
2. Et in peccatis perseuerantia, seu Thesaurus iræ.

C*Ontemptus bonitatis diuinæ*, omnis impietatis fons est & pertinacis reprobationis signum certissimum, cum videlicet nihili faciant homines Dei bonitatis diuitias, non recipiunt salutis doctrinam, Christi Euangelium aspernantur, sacramenta profanant, & omnia Dei beneficia veluti pedibus conculcant, neq; vlla ratione mouentur, vt vllam gratiam Deo referant: sed pro ludibrio & contemptu religionem totam habent, omnes salutares admonitiones respuunt, Christi ministros persequuntur & in eius membra desæuiunt. Quemadmodum de Iudæis conqueritur dominus, 2. Paral: 36. Dominus DEVS patrum ipsorum misit ad eos nuncios mane, parcebat populo suo & habi-

habitationi suæ: sed ipsi deriserunt nuncios & contempserunt verba eius, ludificati sunt Prophetas eius, donec indignatio cresceret aduersus populum suum & non relinqueretur locus remedio.

Nehem: 9. Matth: 22. &c.

Quotquot igitur salutaribus monitis ipsius Dei in verbo suo nos loquentis & piorum ministrorum voci non auscultauerint, sciant se à Deo reiectum iri & contemptus sui pœnas daturos iustissimas, nec vnquam effugituros vltrices Dei manus. Regula enim iusticiæ in Deo est: vt quemadmodum se glorificantes glorificat: ita se contemnentes vicissim contemnit & ignominia æterna afficit.

Alter effectus similitudine & metaphora à Thesauro sumpta exprimitur, qua impiorum iuge & indefessum peccandi studium, condemnationis certitudo & peccati immensitas ostenditur: quod sibimet iram et pœnas in illud tempus,

quo Deus tandem omnes impios puniturus est, accumulent, patientiam in peccandi licentiam vertendo. Estq; similitudinis ratio hæc quod quemadmodum Thesaurus industria & labore, paruum paruo frequenter addendo, colligitur, vt tandem in opum aceruum & cumulum excrescat: ad eundem modum etiam impij, peccata peccatis labore improbo accumulantes, iniquitatis aceruum congerunt.

Hunc etsi in occulto more thesauri reseruent & diligenter custodiant, tandem tamen reuelabitur (vt infra monet Apostolus) die patefactionis omnium, quando occulta omnia manifestabuntur.

Solet etiam thesaurus in futuros vsus seruari, vt cum postulauerit res, depromatur, & necessitati, vtilitati vel honori possessoris seruiat, vnde etiam nomen accepit τίθεσθαι εἰς αὔριον:

Ita etiam thesauri huius vsus erit, vt aliquando in perditionem & iustam

iustam condemnationem collectoris depromatur, seruiatq; non gloriæ sed ignominiæ, non vtilitati sed detrimento, non necessitati sed cruciatui illorum perpetuo, vt quò maiores iniquitatis opes coaceruauerint, eò cumulatius in se effusam irã sensuri sunt. Sicut dicitur, Deut: 32. nonne hæc abscondita sunt apud me & obsignata in thesauris meis. Et Ierem: 50. Aperuit thesaurum suum & protulit vasa iræ suæ.

Cum igitur nullum peccatum inultum à Deo maneat, nec dum occulitur, aliquid de precio eius discedat, caueamus nobis, ne cumulando delicta, pœnas etiam temporales & æternas coaceruemus. Verùm cum quotidie delinquamus, quotidie pœnitentiam agamus, & si Deo peccata hic punire visum fuerit, patienter nos ad paternam castigationẽ offeramus, cum Propheta dicentes: Castiga me domine, sed in iudicio. Item iram domini portabo quia peccaui ei. Item hic vre, hic seca, modo æternum parcas. Jerem. 10.

Ac cum pijs alius Thesaurus repositus sit, vniuersam totius mundi Gazam & cumulatissimas mundi diuitias superans, ipse videlicet IEsus Christus, in quo reconditi sunt omnes Thesauri, sapientiæ & cognitionis Dei, eiusq; salutare verbum in agro Ecclesiæ reconditum, hunc iugi studio quæramus, vt inueniamus & inuentum retinere studeamus. Hunc enim qui habet, verè diues est, nec vllius vnquam sibi necessariæ rei inopia laborabit: sed benedicetur omni benedictione spirituali in Christo IEsu. Non enim est inopia timentibus dominum. Ex aduerso: miserius & acerbius homini nihil potest contingere, quàm huius Thesauri amissio.

Coloss. 2.
Ephes. 1.
Psal. 34.

DE TERTIO.

In die iræ, quo patefiet iustum Dei iudicium, &c.

Tertia

TErtia concionis huius pars continet denunciationem grauissimæ pœnæ & afflictionis omnium impiorum in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, & contra lætissimam omnium piorum conditionem & sortem, idq; primum generaliter, postea subdiuidendo seu per distributionem specialiter, singula persequitur: vt hanc diuinæ iusticiæ regulam in animis hominum altius infigat, eosq; partim alliciat, partim perterrefaciat.

Rem per circumstantias describit, Quando, quis, quibus & quid.

Tempus initio indicat Apostolus propter eos, qui ex dilatione pœnarum spem perpetuæ immunitatis sibi pollicebantur, quos monet: vt quamuis vindictam, & iram quoad forte in hac vita manendum ipsis erit, euitare possent. Non tamen effugituros diem iræ & tempus reuelationis iusti iudicij, quan-

do

do redditurus est dominus vnicuiq; secundum opera sua, & tarditatem pœnæ, grauitate supplicij sit compensaturus.

Obseruetur huius temporis exacta descriptio.

1. Vocatur dies iræ, impiorum saltem respectu, propter vltionem & vindictam, quam dominus illo die sumpturus est de ipsis: Quando vehementissima & acerbissima hostibus suis illaturus sit supplicia ex ira & furore, sine omni mitigationis aut liberationis spe.

Respicit Apostolus ad locum Sopho: dies iræ dies illa. Et Esa: 13. Ecce dies Domini veniet crudelis, plenus indignationis & iræ furorisq; ad puniendam terram.

Sophon.1.

Talibus enim ornatur in scriptura passim titulis dies ille, vt præmoneantur impij, quæ sibi tandem sors, cum iniquitatis mensuram compleuerint, parata maneat.

Secundo vocatur tempus hoc, dies reuelationis, quia tunc manifestabun-

ſtabuntur occulta cordis: aperientur libri magni & Theſauri iniquitatis in hoc mundo collecti & in occulto ſeruati proferentur & omnium oculis exponentur.

Apocal. 20.

Rom: 14. 2. Cor: 5. Omnes manifeſtabimur coram tribunali Dei.

Tertio dicitur dies iuſti iudicij, cuius appellationis rationem mox addit Apoſtolus, ab officio iuſti iudicis ſumptam, quod redditurus eſt vnicuiq; ſecundum opera ſua, idq; ſine vlla perſonarum acceptione.

Huic iuſto & ἀπροσωπολήπτῳ iudici vitæ in terris actæ rationes exactiſsimas redditurum eſt vniuerſum mortalium genus, ſine vlla conſideratione perſonarum, conditionũ, ſexus aut dignitatis, quando nec pauperis nec diuitis, maris aut fœminæ, regis aut ſubditi, Iudæi aut Græci habebitur in conſpectu eius ratio: ſed rependat vniuſcuiuſq; capiti, ſicut meritus eſt. Syrach 17. Ierem: 32. Oculi domini

Quis?

aperti

aperti ſunt ſuper omnes, filios A-
dam, vt reddat vnicuiq; ſecundum
vias ſuas.

Roma. 14. 2. Cor. 5.

Quid autem redditurus ſit & quibus, per diſtributionem antitheticam apertè exprimit.

Ac vt facilius impios in ſuam pertrahat ſententiam, æternam piorum gloriam & felicitatem in bono ad finem vſq; perſeuerantium, initio deſcribit, hoc eſt, ijs, qui firma fiducia in Chriſti ſolius meritum recubuêre, nec vllis aduerſitatibus fracti à ſalutis via deflexêre, ſed conſtanti animo ad finem vſq; perſeuerarunt.

His reddetur honor, gloria & imortalitas, in vita æterna, hoc eſt, verum, ſtabile & diuturnum decus ac gaudium, omniſq; felicitatis perpetua fruitio, qualem nec oculus vidit nec auris audiuit, neq; in cor hominis deſcendit. Idq; non ex merito (vt papiſtæ ſomniant) ſed ex gratuita Dei miſericordia propter Chriſtum, quem fide amplexi

ſunt,

ſunt, qui ſua dona, non ipſorum merita coronaturus eſt in ipſis. Cum enim in conſortium iuſticiæ Chriſti recepta ſit perſona credentis: ſequitur Deum iuxta doctrinam gratiæ Euangelij opera eiuſdem remuneraturum eſſe.

Impios vero contra, qui contentioſi erant, & qui veritati non obtemperabant, ſed iniuſticiæ, hoc eſt, qui hoſtiliter Ieſu Chriſto, qui ſolus via, veritas & vita eſt, eiuſq; veraci & infallibili verbo pertinaciter obluctati ſunt, & ſeſe ijs oppoſuere. Quiq; contra conſcientiam ſuam, petulanter & furioſe cœco impetu in quæuis flagitia ruebant, nec à lato iniuſticiæ & iniquitatis tramite in arctam viam ſalutis, admoniti redire volebant: ſed contumaciter contemptis omnibus ſalutaribus monitis in malicia ad finem perſeuerarunt.

impiorum v.

Hos manet excandeſcentia, ira, anguſtia & afflictio. Stat enim immutabile Dei decretum, qui non

Johan. 3. credit Filio, ira DEI manet super eum.

Hæc ira, angustia & afflictio nequaquam erit φόβητρον seu inane terriculamentum, aut fallax sine re vmbra: quemadmodum impij sibi in peccatis modo gratulantes somniant: sed complectuntur hæ voces miserrimam omnium rerum sortem, omnes omnis generis calamitates, omnium acerbissimorum cruciatuum concursum, & subitam vltionis diuinæ vehementiam: quibus tunc afficientur impij, cum pœnas interitus æternas non corpore solum sed anima, vt hic loquitur Paulus, dabunt à facie domini & gloria virtutis eius, 2. Thessal: 1. Psalm: 69.

Quare nullam requiem, nullam consolationem, nullam vnquam liberationem inuenient: quin diro turbine furoris vexentur, ad infesti DEI terribile fulmen perpetuò deijciantur, mortiferis conscientiæ aculeis confixi lancinentur & hor-

rendis

rendis cruciatibus inferni iugiter
excarnificentur: vt dicitur Esa: 66.
Vermis illorum non morietur &
ignis non extinguetur. Psalm: 49.
Sicut oues in inferno positi sunt,
mors depascet eos, & infernus ha-
bitatio illorum. Iudith 1. dabit ig-
nem & vermes in carnes illorum vt
vrantur in æternum.

Cum igitur ea, quæ Deus con-
temptoribus verbi sui denunciat,
certo certius euenient, & quò diu-
tius tolerati fuerint, eò grauius
punientur, vt testantur luctuo-
sissima exempla diluuij, Sodomo-
rum, Ierusalem, Saulis, Iudæ,
Iuliani, & omnium impiorum:
ideo harum pœnarum considera-
tione & iudicij huius, quo ratio-
nem dictorum factorumque omniū
accuratissimam reddituri sumus,
assidua cogitatione ad pœnitenti-
am nos exuscitemus: mores im-
piorum fugiamus, & thesaurum
iniquitatis diu coaceruatum coram

ipſo aperiamus & explicemus: vt diuitias bonitatis ipſius & opulentiam gratiæ diuinæ, quæ exuberat ſupra peccatum, & tandem die iuſti iudicij gloriam, honorem, & vitæ cœleſtis immortalitatem per Ieſum Chriſtum conſequamur, Amen.

CONCIO SECVNDÆ DIEI.

Pſalm: 32.

BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Quoniam tacui, contabuerunt oſſa mea, dum rugirem tota die. Quoniam die ac nocte grauata

uata eſt ſuper me manus tua, conuerſus eſt humor meus in ariditatem æſtiuam. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſticiam meam non abſcondi, dixi confitebor tranſgreſsiones meas domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

QVomodo iniquitatis theſaurum tempore longo & labore iniquo coaceruatum euacuare & exhaurire queamus, omnibus nobis, qui acerbiſsimam Dei indignationem & ſempiternos inferni cruciatus declinare, & ex aduerſo bonitatis diuinæ diuitias auguſtiſſimas vitæ præſentis & futuræ conſequi volumus, operæprecium fuerit videre.

Ac propterea de modo euitandi hæc pericula & conſequendi dictas diuitias, hodie agemus: Qui eſt, vt animo ab inſania & peccandi conſuetudine recepto & omni dolo

abiecto, veram beatitudinem, quæ in gratuita condonatione omnium delictorum noſtrorum, & imputatione iuſticiæ vnici ſoſpitatoris noſtri Ieſu Chriſti, conſiſtit, ſeria pœnitentia quæramus: omnem abſtergendæ impuritatis ſpem in ipſo ponamus, & ab ipſo omnium delictorum veniam per ipſius miſericordiam petamus: quemadmodum hoc Pſalmo verê μετανοητικῶς docet Propheta. Qui propterea etiam Dauidis Maſchil ſeu eruditiuũ dicitur, quod ipſe à Dei ſpiritu eruditus, omnium mentes de vera felicitate hominis peccatoris, quæ in ſola iuſtificatione fundatur, erudit & docet.

Ea enim vnica & ſola & vera ſapientia eſt, quæ verum de remiſſione peccatorum & iuſtificatione intellectum aperit, ſicut in cantico

Luc. 1.

ſuo Zacharias pronunciat: ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorum eorum. Huius autem Pſalmi partem priorem quinq; verſibus comprehen-

ſam

ſam hodie proponam, inq́ duas partes diſtribuam.

I. Quæ ſit vera hominis beatitudo, & in quo potiſsimum conſiſtat.

II. Quibus contingat: ijs videlicet qui abiecta omni hypocriſi, vera animi ex vitijs emergentis conuerſione, ad Deum oportunè accurrunt.

DE PRIMO.

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir cui dominus non imputauit delictum.

PRopoſitio principalis totius Pſalmi eſt, quâ Propheta è terroribus peccati, conſcientiæ & interni eluctatus & in animo ſentiens dulciſsimam conſolationem & tranquillitatem, aduerſus omnes cruciatus & angores, lætiſsima voce, ſuo exemplo, omnes eos felices beatoſq́ pronunciat, qui delictorũ

ſuorum veniam per miſericordi-
am DEI acceptam impetratamq́;
habent.

Huius partis tria membra do-
cendi cauſa conſtituam. I. Quæ ve-
ra beatitudo. II. In quibus conſi-
ſtat, nempe in gratuita remiſsione
peccatorum. III. Quid remittat.

*Beati quorum remiſſæ ſunt ini-
quitates.*

Monſtrat Propheta, in quo po-
tiſsimum vera hominis ſalus con-
ſtanſq; illa felicitas ab omnibus ſa-
næ mentis hominibus ſæpe mul-
tumq́; quæſita expetitaq; conſiſtat,
videlicet non in moralis virtutis in-
quiſitione & operatione, vt conclu-
dunt Philoſophi: Non in opum di-
uitiarumq́; fluxarum momentanea
poſſeſsione, vt iudicant huius ſeculi
Filij: nec in voluptatis ſpurca ex-
pletione, vt ſomniant epicuræi:
neq; in vmbratilis aut euanidi ho-
noris ſplendore, vt autumant am-
bitioſi, nec deniq; in operum no-
ſtrorum

ſtrorum perfectione, fucatæq; ſan-
ctitatis externa exhibitione, vt con-
tumelioſe docent noſtri ſeculi Pha-
riſæi & Sophiſtæ. Sed in ſola ſolius
Dei miſericordia & gratuita boni-
tatis abundantia, qua peccata re-
mittit, occulit & obliuione delet
perpetua: vt qui antea fœdatus
pollutuſq; in tremendo Dei iudicio
apparuit, idem nunc iuſtus repute-
tur & abſoluatur.

Eſt itaq; vera beatitudo: con-
donatio omnium delictorum, &
imputatio iuſticiæ Chriſti gratuita.
Nec aliam eſſe cauſam beatitudinis
ſeu ſalutis æternæ, quam quæ & iu-
ſtificationis & contra oſtendit hoc
loco Propheta, & Paulus Rom: 4.

II. membrum.

Verum vt copioſam conſolati-
onem aduerſus immenſam delicto-
rum copiam habeamus: gratuitæ
huius iuſtificationis fundamentum
triplici metaphora explicat & illu-
ſtrat. Quarum prima, voce remiſ-
ſionis exprimitur.

*Beati quorum remissæ sunt ini-
quitates.*

Quidam vertunt, leuatus iniquitate, exprimentes vim verbi Hebræi Nascha, quod tollere & leuare significat: sumpta similitudine ab ijs, qui sub onere aliquo intolerabili gemunt & fatiscunt. Vnde primo describitur peccati natura & vis: quod videlicet sit immane pondus & onus grauissimum, cor & conscientiam hominis in inferni barathrum deprimens. Nec tanto oneri ferendo humana natura vnquam par esse, potest (ne quidem in Christo, nisi à diuina sustentata fuisset) aut vnquam suis viribus eluctari: verum sub eo tandem hiscere & fatiscere, imo prorsus deficere necesse est, nisi fauoris diuini ope & auxilio subleuetur: vt Psalm: 38. queritur David: Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et propterea apud Esaiam dicitur: Populus onustus ini-

Esai. 1.

quita-

quitate. Idem & CHristus ipse Matth: 11. innuit, dum ad se venire iubet omnes oneratos & laborantes: quò etiam respexit Baptista, cum prætereuntem DEI filium, agnum tollentem peccata mundi populo monstraret.

Hoc onus nostrum leuat æternus pater per Filium suum, qui culpam & pœnam æternam ex sola sua misericordia propter mortem & passionem suam sine vllis nostris meritis tollit & abolet, & assignat peccatori credenti iusticiam & innocentiam suam, cum qua coniuncta est Spiritus sancti donatio, adoptio in ius filiorum Dei, renouatio naturæ & inchoatio vitæ nouæ ac perpetuæ.

Et quorum tecta sunt peccata. II.

Altera similitudo à re operimento velata & occultata, ne in conspectum alicuius veniat, sumitur. Sentiens Propheta in natura sua & nostra sic hærere peccatum,

vt

vt etiamſi gratuita Dei miſericordia remittatur, nequaquam tamen, quoad nobis in hac carne corruptibili manendum ſit, radicitus tolli exſtirparíue poſsit, quin idemtidem recurrat. Ideö ſecundum hanc ſimilitudinem, quæ prioris expolitio eſt, docens quomodo remittantur peccata, ſubiungit, cui factum eſt cooperimentum ſuper peccatum, ſicut vertit Caldæus. Eſtq́ſ ſenſus. Quamuis peccati labes in nobis hæreat, naturæq́ vitioſitatem, quæ ſubinde in actus cogitatusq́ malos prorumpat, circumferamus (vtpote prauas inclinationes, inordinatarumq́ cupiditatum flammas, vitioſa in Deum & proximum dicta factaq́) illa tamen velamento iuſticiæ Chriſti & gratiæ eiuſdem tegumento ſic occuluntur & inuoluuntur: vt in Dei iuſti iudicis conſpectu nunquam appareant aut imputentur, neue maledictio iuris aliquid in nos habeat: ſed pro non perpetratis habeantur, cen-

ſcan-

ſeanturq́ꝫ tanquam non ſint. Vt dicitur, Pſalm: 85. operuiſti omnia peccata illorum.

Reſpicit abſq́ꝫ dubio Propheta ad parentum primorum nuditatem & perizomata illa ficulnea, quibus ſe ſuamq́ꝫ turpitudinem conueſtire, ad conſpectum Dei vocantis, voluerunt.

Duo igitur docemur.

I. Summam eſſe nuditatem & confuſionem naturæ humanæ, quæ omni prorſus tegumento iuſticiæ, ſanctitatis integritatiſq́ꝫ in animo & corpore exuta ſpoliataq́ꝫ eſt, nec poſſe mortalium quempiam, ſeſe ſuamq́ꝫ turpitudinem & confuſionem vllo velamento proprio tegere aut conueſtire, quantumuis ea palliare & fuco tegere moliatur. Apocal: 3. Video confuſionem tuam quia nudus es.

II. Opus eſſe alio tegumento, iuſticia videlicet Filij Dei, qua operiri inuoluiq́ꝫ eos neceſſe eſt, qui fœditatem & ſpurcitiem congeni-

tam

tam & asciticiam, opertam occultatamq; volunt.

Gen. 27. Vt quemadmodum Iacob vestibus Fratris sui Esau, quas Mater Rebeccha secum domi habebat, indutus, Patri suo Isaac gratus acceptusq; fuit, & pro Esau habitus est, cuius etiam benedictionem accepit: ita & nos patri cœlesti grati acceptiq; sumus, à matre Ecclesia induti tegumento, primogeniti inter multos fratres, domini nostri Iesu Christi, in verbo monstrato: qui pro nobis factus maledictum, omnem suam benedictionem in nos transfudit, & velamento gratiæ suæ sic inuoluit supraq; nos extendit, vt nihil nisi purissimam iusticiam & ius primogenituræ apud nos videat pater cœlestis. Galat: 3. Omnes filij Dei estis per fidem in IEsu Christo, quicunq; enim baptizati estis, Christum induistis.

Et sicut Pontifex summus non ingressus est sanctuarium domini, nisi indutus ornatu pontificio,

Ephod,

Ephod, tunica, mitra &c. Sine quibus neq; Deo gratus fuit, neq; sacra peragere licebat: ita neq; Deo acceptus erit quisquam, nec quæ salutis sunt, expedire, aut vnquam in sacrarium domini ingredi potest, nisi Pontificis summi IEsu Christi innocentiæ & iusticiæ vestibus indutus ornatusq; fuerit.

Hinc à Propheta Esa: 4. dicitur: Filius Dei protectio et tabernaculum præbens vmbram interdiu aduersus æstum & perfugium atq; tegumentum contra tempestatem & pluuiam: sub cuius tegmine tuti sedemus pullorum instar, quos gallina sub alis suis contegit & fouet.

Matth. 23. psal. 36. 91.

III.

Beatus vir, cui non imputauit dominus peccatum.

Tertia similitudo à creditore sumpta, qui ex mera gratia debitori totum æs alienum remittit, et rationes ad calculum, singula exactè expendendo exigendoq; nequaquam reuocat: sed cuncta in rationum tabu-

tabulis consignata, confestim obliterat & expungit, ne oculis subijciantur aut in iudicium veniant, & si vlla cautio, vel de solutione Syngrapha interuenit, ea statim conciditur & in minutas partes decerpta igni exuritur. Hoc modo & Deus misericors non solum non peccata ad calculum reuocat: verumetiam obliuione perpetua delet, conciso, quod aduersum nos erat, Chyrographo, sicut docet Paulus Colossi: 2. & Ierem: cap: 31. Peccatorum eorum non amplius recordabor.

Huius deletionis & gratuitæ condonationis illustre exemplum est in illo colloquio Christi cum Simone Pharisæo, Lucæ 7. & in parabola, de rege conferente rationes cum seruo suo, cui immensum illud debitum gratis remisit.

Matth. 18.

Veteres tribus hisce similibus, tribus personis diuinitatis, iustificationis nostræ opus hoc modo assignarunt.

Pater,

Pater, motus inexhausta miseri-
cordia sua, propter filium remit-
tit omnia peccata, et leuat onus no-
strum, ne sub eo deficiamus.

Filius carne nostra indutus, sua
innocentia sanguine acquisita, om-
nes næuos tegit, ne patris oculos
offendant.

Spiritus sanctus facit, ne impu-
tentur delicta, nosq; paratos & ac-
commodos reddit ad Dei miseri-
cordiam accipiendam per filium,
cuius nos tegumento in verbo in-
duit, & nobis omnia ipsius merita
applicat: vt sic induti & ornati, in-
trepide Deum accedamus. In sum-
ma: πάσαν τὴν κατόρθωσιν ἐν ἡμῖν ἐρ-
γάζεται, vt pie loquitur Macarius.

Non igitur est, quod maledicti-
onem aut interitum metuamus, vbi
Syngrapham de debitis contractis
contra nos proferat seuerissima Dei
lex aut conscientiam nostram pec-
cati stimulus exagitet: quasi deli-
cta stilo ferreo, in rationario ita in-
sculpta hæreant, vt expungi aut ob-

literari nequeant. Verum fide firmissima statuamus, omnia omnis generis delicta, effusi cruoris Christi efficacitate, perpetuo deleta expiataq; manere, omnibus ijs, qui omnem abstergendæ impuritatis fiduciam in eo collocant, et vero gemitu ad hunc misericordiæ fontem anhelant. 1. Ioh: Si cor nostrum nos condemnat, Deus maior est corde nostro. Esa: 1. Si fuerint vt, &c.

2. Videmus hinc nihil in nostris personis, operibus aut qualitatibus esse, quod iustificationem adiuuet, nec vllam aliam obtinendæ beatitudinis viam monstrari, quam si dominus nos in gratiam recipiat, puritate sua maculas & næuos, ne in rationem veniant, obtegat & delicta non imputet.

3. Docemur præterea, iusticiam, qua consistimus, in iudicio Dei non esse essentialem, aut infusam per spiritum sanctum in nobis: sed tantum ablationem, occultationem & deletionem omnium præuaricati-

onum

onum noſtrarum per & propter Chriſtum, & imputationem ſeu applicationem gratuitam innocentiæ ac meriti eiuſdem dira morte et paſſione acquiſiti, quo in tremendo Dei iudicio abſoluimur, ne noſtræ ſordes vel internæ vel externæ nos condemnent. Rom: 8.

III. Quid autem remittit, tegit, condonat? Propheta tribus ſignificantibus vocabulis diuerſas peccati ſpecies deſcribit, eiuſq; naturã & atrocitatẽ exaggerat. Vox Peſchahh, in græco ἀνομία, omne peccatum denotat, quod cum voluntate et lege Dei pugnat, omittendo vel committendo. De quo Paulus conqueritur. Rom: 7. Bonum quod volo non perficio, malum autem quod nolo hoc facio.

Chataah, ἁμαρτία, erratum, macula interior, errantes motus & prauæ concupiſcentiæ ortæ à naturæ vitioſitate, quæ tandem in actus prauos prorumpunt. Vnde Apoſtolus: video aliam legem in membris meis repugnantem legi men- Roma. 7.

Esai. 53. tis meæ. Item erraui sicut ouis quæ
Psal. 119. perijt.

Hhauon vero morbus ille naturæ, radix omnis mali & insitum crimen, quod ab Adamo in omnes propagatum est. Rom: 7. Scio quod in
Roma. 7. Psalm. 51. Job. 14.
me nihil boni habitat. Item non potest mundum de immundo nasci.

Relucebit hinc non modo peccati qualitas, quàm abominabilis, atrox & execrabilis res coram Deo sit peccatum quodlibet, etiam coram hominibus minimum: verum etiam quantitas innumerabilium delictorum, stellas cœli & numerum arenarum maris superantium, adeo grauis et formidabilis, vt mens hominis ad considerationem eorum tota cohorrescat. Non enim tantum est actio scelus externum vel transgressio, pugnans cum præscripto normæ diuinæ: sed interna labes, corruptio, ἀταξία et defectus omnium virium internarum & externarum, in mente cæcitas, in corde & voluntate incredibilis durities &

con-

contumacia, iram Dei et æternã maledictionem perpetuò promerens.

Ideo autem toties hoc peccati vitium repetit & exaggerat Propheta, vt ostendat, nihil impedire beatitudinem & felicitatem nostram præter solum peccatum, sicut dicitur, Esa: 64. Peccata vestra diuiserunt inter me & vos.

Deinde etiam, vt ostendat neminem ἀναμάρτητον esse: Si enim dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas Dei in nobis non est. Ac propterea cauendum nobis est, ne vel delicta nostra, vt rem leuiculam nulliusue momenti extenuemus, aut de flagitijs nostris nimium leuiter pronunciemus: vel etiam considerata iniquitatis magnitudine propter illius atrocitatem aut magnitudinem, spem veniæ, cum Caino, Saule, Achitophele, Iuda, &c. abijciamus, & fracti animis tandem in desperationis præcipitium feramur. Nullum enim adeo leue aut exile con-

1. Joha. 1.

tra diuinæ legis normam admittitur peccatum, quin mortem & condemnationem mereatur sua natura: nec yllum adeò deforme, atrox & abominandum, quin pœnitentiam agenti gratis propter Christum remittatur. Efficatior enim longè, gratia ad condonandum quam omnis iniquitas ad condemnandum. Psal: 103. Sicut altitudo cœli, &c. Rom: 5. Vbi abundauit peccatum, superabundabit gratia. 1. Ioh: 1.

DE SECVNDA PARTE.

In cuius spiritu non est dolus.

DIxit Propheta de iustificatione. Nunc quibus contingat tanta beatitudo & felicitas, docet, ijs nimirum, qui abiecta omni hypocrisi, sub tristi onere peccati, manu Dei pressi gemunt & dolent, peccata ingenue fatentur, & sibi ea gratis remit-

remitti per Dei miſericordiam plene in Chriſto exhibitam, indubitato ſtatuunt.

Quatuor igitur veluti notas ponit, quibus ſalutaris conuerſionis forma hoc loco deſcribitur.

1. Non doloſè cum Deo agere.

2. Sub manu Dei ingemiſcere & dolere ob delictorū magnitudinem.

3. Ingenuam coram Deo confeſſionem edere,

4. Firma fiducia ſtatuere peccata gratis remitti.

In cuius ſpiritu non eſt dolus.

I. Dolum vocat mendacium, hypocriſin, pietatis ſimulationem, virtutis propriæ oſtentationem, fictam animi humilitatem, fidem vanam, & vt vno verbo cum Poëta dicam: doloſus is eſt, ὅς ἕτερον κεύθει κραδίη νόον ἄλλο δὲ εἴπει, qui aliud lingua profer, aliud verò corde occultat.

Quidquid enim ex pura cordis ſimplicitate non proficiſcitur, dolus

fallacia & impostura coram Deo reputatur. Necq; illi, cui veritas animiq; integritas grata est, quiq; in spiritu & veritate vult coli, & semper cor duplex odit, quidquã adeò exosum nostræq; fidei contrarium inuenitur, quam fallacibus tegumentis animũ inuoluere & fictam fucatamq; sanctitatem eius iudicio opponere. Quod qui faciunt, Deum suo honore spoliant, se vero ipsos vita & salute æterna priuant. Et sicut homini facile est prætextus ad excusanda peccata fingere: ita Diabolo facilius suggerere, quod Deo iudicanti obijciat: verum Deo iudici facilimum veritatis & iusticiæ suæ fulgore vanitatis nostræ laruas detrahere & fumos dispellere. Vos estis (inquit Christus) qui iustificatis vos ipsos in hominum conspectu: Deus autem nouit corda vestra, quia quod apud hominem sublime est, abominatio est in conspectu DEI.

Lucæ 16.

Omnes

Omnes igitur, qui vel perſuaſione propriæ ſanctitatis et iuſticiæ tument, vel peccata tegunt & palliant, vel ſimulant ſe agnoſcere iniquitatem ſuam & odiſſe eam, interim tamen peccatis ſuis indulgent, atq; in ſua ſibi malicia placent, doloſi coram Deo ſunt, & falſitatis ſuæ ſpecie ſeipſos decipiunt, taliſq; pœnitentia non modo non placat offenſum Deum, ſed grauius eum irritat et ad maiorem iram prouocat. Pſal: 78. Blanditi ſunt corde ſuo & lingua ſua mentiti ſunt, cor autem illorum non erat firmum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. Pſal: 36. Blanditur ſibi in conſpectu ſuo, doloſe egit in conſpectu eius, verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere. Item populus labijs ſuis me honorat, cor autem illorum longè eſt à me.

Exemplo erit Pharao, qui à domino plus decies admonitus, ſtupendis ſignis conuictus & etiã pœnis afflictus, Deo promittit emen-

dationem eiusq; populo dimissionem: cessante verò plaga, cessat omnis in ipso pietas. Cain à domino admonitus, peccati factum constanter negat. Esau, amissa primogenitura, dolet, verum dolori suberat dolus: non enim ob peccati turpitudinem, sed pœnæ grauitatem doluit. Populus Israëliticus in necessitatibus constitutus, Deum sæpe quærebat: amoto verò periculo, ad ingenium rediit, & in malicia consueta perrexit

Obstitit & dolus hic Pharisæo superba confidentia turgenti, quò minus iusticiam consequi potuerit. Lucæ 18. ô vtinam inter nos tales hodie non inuenirentur impostores plurimi, qui modo sanctitatem simulantes, in pristina mox relabuntur flagitia.

Nos proinde ex animis nostris omnem abstergamus hypocrisin, ac diligenter caueamus, ne falsis integumentis delicta inuoluentes, vanas excusationes peccatis nostris

præ-

prætexamus, laruas quaſdam inanes Dei tremendo iudicio opponamus, nobiſq; ipſis ſalutis viam occludamus: ſed abiecta omni fallacia, veritatem & integritatem animi afferamus: vt vere de nobis dici poſsit, quod de Nathanâele Chriſtus pronunciat, Ioh: 1. Ecce verus Iſraëlita, in quo dolus non eſt.

Quoniam tacui, contabuerunt oſſa mea, dum rugirem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus eſt humor meus in ariditatem æſtiuam.

II. CONfirmat ſuperiorem doctrinam de gratuita iuſtificatione â ſuo ipſius exemplo, oſtendens quomodo ipſe iuſtificatus ſit: vtq; omnibus afflictis & contritis corde, eiuſdem beatitudinis ſpem faciat, & ad ſalutarem confeſsionem excitet, ne delictorum pondere obruti fatiſcant: docet in quantam & ipſe animi luctam,

quan-

quantoſq; cruciatus coniectus fuerat, antequam peccata ſua confiteretur, inq; diuinæ gratiæ fauorem reciperetur. Preſſus enim manu Dei ſe penè attritum fuiſſe dicit, donec miſericordiæ diuinæ aura ſalutari recreatus fuiſſet.

Continet igitur hæc narratio triſtiſsimam querelam de magnitudine doloris animi, ſtimulis peccatorum exagitati & iudiciũ Dei formidantis, quem ab effectis et ſignis deſcribit. 1. Quod inueterata ſunt oſſa. 2. Quod rugiret tota die. 3. Quod humor verſus ſit in ariditatem æſtiuam, idq; ideo. 4. Quia manu Dei preſſus ſit.

1. *Quoniam* inquit, *tacui*, id eſt, quamdiu non confeſſus ſum peccata mea, ſed ea in corde et conſcientia mea ſepeliui & occultaui, inanibus pharmacis dolorẽ meum lenire volens, in tantas afflictones cordis detruſus ſum, vt omnia oſſa mea flamma iræ diuinæ exuſta & tabe penè confecta ſint: nec quicquam in to-

to corpore meo integrum ſanumq́ fuit. Vi enim & multitudine commiſſorum delictorum, quibus indignationem pœnaſq́ mihi contraxi, proſtratæ et debilitatæ ſunt omnes, tàm animi quàm corporis vires: peccatiq́ mœrore ſic conficior & atteror, vt etiam oſsium humor & pinguedo præ tanti doloris acerbitate conſumpta ſint, omniſq́ virtus cordis mei emarcſuerit: non aliter ac in corpore marcido omni humido radicali deſtituto, membra languеſcunt. Pſal: 6. conturbata ſunt oſſa mea. Pſal: 38. non eſt pax oſsibus meis. Eſa: 38. Sicut leo contriuit omnia oſſa mea. Hoc modo & nos ob virus ſceleris tabifici à primo generis noſtri parente in vniuerſam poſteritatem diffuſum, & ob actus pernicioſos debilitati, viribus exhauſti & protriti ſumus.

2. *Dum rugirem tota die.* Præualentibus hiſce tantis doloribus, non ſolum mihi lachrymæ excuſſæ ſunt: ſed etiam clamor feralis, dum leo-

nis

nis instar præ anxietate cordis, & ægritudinis acerbitate, integros dies fremo & rugio.

5. *Conuersus est humor in ariditatem æstiuam.* Similitudo est â terræ nascentibus sumpta, magnitudinem mœsticiæ exprimens. Quemadmodum durante solis calore intensissimo exuruntur & flaccescunt prata, arbusta, frutices &c. Omnisq; herbescentium frugum viror & succus æstu depascitur: ita quidquid in me succi, quidquid vigoris aut viroris, id totum ardore iræ diuinæ, quæ ignis est consumens, torretur & arescit. Spiritus enim tristis exsiccat ossa. Causam addit: *Quia manus tua grauata est super me.* Manum DEI vocat potentiam puniendi, sensum iræ Dei, & iudicium illud terribile, quod in animo sibi male conscio manu veluti flagellis armata, exercet iudex iustissimus.

Prou. 17. 4.

1. Doctrinæ. Hi & similes dolores manent quamdiu peccator tacuerit, id est,

pecca-

peccata negauerit, excuſauerit aut palliauerit: malicia namq; ſilentio diſsimulata, morbus in animo eſt ſubputridus inquit Nazianzenus. Et contra, quo quiſq; in ſe damnando fuerit ſeuerior, eò magis exorabilem Deum reperiet

2. Prodit ſe etiam hic peccati effe-ctus, qui eſt terrere conſcientiā, cor deijcere, mentem aculeis ſuis configere, & in ſumma anxietate hominem relinquere. Tanta igitur vis eſt prauitatis inſitæ & aſciticiæ, vt contundat etiam, conteratq; oſſa, & in ſummas anguſtias adductos, tandem in deſperationis voraginem præcipitet, niſi fiat remiſsio, vt in Iuda & ſimilibus cernere eſt.

3. Inde etiam experimur iram Dei, rem admodum intolerabilem eſſe, ad cuius æſtum nemo vnquam ſupereſſe, aut in tremendo DEI iudicio conſiſtere poteſt. Nam in nihilum redigit quidquid obuium ſit. Pſal: 110. Si iniquitates obſeruaueris, &c. Iob 9. Omnipotentis

in

in me sagittæ sunt, quarum indignatio ebibit spiritũ meum. Item si volueris mecum contendere in iudicio non respondebo vnum ad mille.

Quarto admonemur, pios Dei manu premi & deijci, vt sit ipsis in viam redeundi occasio. Cum enim iudicamur, à domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Deprimit enim vt releuet, premit vt solatia præstet, ducit ad infernum & reducit.

1. Sam. 2.

Psalm. 119.

Vsus.

Verus proinde dolor & cordis contritio considerantis fœditatem sui peccati, & sentientis iram Dei, motus est, ad conuersionẽ necessarius, accensus voce legis, cuius præcipue vsus est, teste Paulo, vt in ea ceu speculo peccata nostra contemplemur, latentem in nobis corruptionem agnoscamus, & terrores incussi conscientiæ animaduerso peccato, iram Dei & proprij interitus magnitudinem, nobis commonstrent.

III.

Tertia ſalutaris conuerſionis nota, confeſsio eſt. Poſtquam enim oſtendit ſuo exemplo, quantum incommodi ſequatur delicti occultationem, docet neceſſariam eſſe omni agenti pœnitentiam, peccati coram Deo confeſsionem. Nihil enim melius, nihil ad impetrandam Dei gratiam conducibilius, quàm agnoſcere turpitudinem noſtræ naturæ & Deo laudem iuſticiæ tribuere. Eſt enim hoc in ſalutis noſtræ negotio caput et cauſa ſine qua non gratiam Dei conſequimur, vt fracti animis, ingenue nos peccatores, & proinde è regno Dei excluſos eſſe agnoſcamus.

Dan. 9.

Et quemadmodum ij, qui ægritudinem non ſentiunt, aut etiam morbos diſsimulare ſtudent, nec medicum quærunt, nec medicinam admittunt: ita neq; Chriſtum quærent, nec ſalutarem medicinam in verbo monſtratam, admittent, qui

posito iudicij diuini metu, animi morbos dissimulare student, aut se ægros non agnoscunt. Firma namque valent per se nullumque Machaona quærunt: Ad medicam dubius confugit æger opem.

Matth. 9.

Suo igitur exemplo monstrat Psalmista, quomodo ad Deum accedendum sit, cum iræ diuinæ sensu torqueamur, & delictorũ multiplicium horrore vrgeamur: nempe vt coram Deo nos ipsos damnemus, inque nos ipsos descendentes, ex concione legis accusantis naturam nostram multis sordibus interioribus & exterioribus fœdatam & deformatam agnoscamus & deploremus coram Deo peccata, quæ non ignorat. Non occultemus, non prætextu aliquo excusemus, aut prorsus cum securis negemus: sed dicendo contra nos fateamur, Deo, ministris, & si opus fuerit, toti Ecclesiæ, quam vitâ peruersâ deformauimus, omnes iniusticias nostras: mendicorum instar, qui ad ianuas

ditio-

ditiorum prouoluti, hulcera sua præterreuntibus ostentant, vt ad commiserationem, & eleemosynam sibi perrigendam facilius & vehementius permoueant. Idem & nobis, qui salutis eleemosynam ad Ecclesiæ Christi fores, hulceribus conscientiæ scatentes & gratia egentes prostrati iacemus, faciendum erit, ne vel occultando, vel extenuando, vel inficiando petulanter spiritui Dei per verbum (ex ore ministri prolatum) nos vocanti, hostiliter repugnemus, impiorum more, qui male sibi conscij hulcera conscientiæ tegunt & palliant, atq; peccata stilo ferreo & acuto Adamante in tabulis cordis incisa & insculpta, occulte circumferunt, vt loquitur Ieremias cap: 17. Ideo etiam iniquitatis admoniti, fremunt aduersus DEVM & verbi eius præcones: donec tandem exigente id DEI iusticia & illorum malicia, merguntur in tristissimos dolores, ex quibus cum

Jerem. 17.

eluctari nequeant, animum despondent & præcipites feruntur in exitium, vt Caino, Esau, Herodi & similibus accidisse legimus.

Voluntaria proinde confesſio, qua in conspectu Maiestatis Dei comparentes, ipsi laudem iusticiæ, nobis verô confusionem faciei cum Propheta tribuimus, & culpam supplices deprecamur, via est, qua à morte ad vitam transitur, in qua etiam peccatori resipiscenti obuius (vt Augustinus loquitur) fit Deus misericors, adeò vt confesſionem eius intus adhuc in penetralibus cordis conceptam, antequam per os erumpat, exaudiat: quocunque enim die homo ingemuerit, saluus erit. Prouerb: 28. Confitenti peccata sua & relinquenti, dominus erit propicius. Esa: 66. Ad quem respiciam &c. Syrach 17. Conuersis offert gratiam & languefactos consolatur, ne desperent. 1. Ioh: 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis

Dan. 9.

bis

bis peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate. Rom: 10. Corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutem. Actor: 3. Pœniteat vos erroris & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Præclarè igitur Augustinus. Non operui, sed aperui, vt operires: non celaui, vt tu tegeres. Nam quando homo detegit, Deus tegit, cùm homo celat, Deus nudat, cùm homo agnoscit, Deus ignoscit.

Quoniam tu remisisti iniquitatem peccati mei.

Quartum, quod in conuersionis suæ exemplo proponit Dauid, fides est: sensu namq; corruptionis propriæ, & humili delictorum suorum confessione, sine simulatione dispositus & præparatus, ad comparendum coram Deo, fidem in corde per lucem verbi, accensam à spiritu, mox concipit, & sentit in conscientia læticiam ac consolationem, quæ deiectum timore animum ad petendam veniam erigit & confirmat

vt ſine hæſitatione credat ſe â reatu & pœna peccati æterna liberatum abſolutumq́; eſſe, atq́; omnem offenſam in Maieſtatis diuinæ conſpectu tectam occultatamq́; manere, idq́; mera bonitatis eius abundantia, ſe propter filium recipientis, vnde confidenter in vocē hanc erūpit: *Tu remiſiſti iniquitatem peccati mei*, vel onere tranſgreſsionis me ſub leuaſti, & in ceruicē filij tui poſuiſti. Remittere namq́; iniquitatem, vt ſupra diximus, ſignificat gratis ſine noſtris meritis culpam et pœnam æternam tollere & abolere & imputare ſeu applicare peccatori credenti iuſticiam & innocentiam Chriſti: cum qua coniuncta eſt tranquillitas conſcientiæ, donatio ſpiritus ſancti, liberatio â morte & ſalus æterna.

Organum igitur ἀποδεχόμενον ſeu gratiam hanc recipiens, fides eſt, quæ ſcientia eſt, perſuaſio, aſſentio & firma fiducia cordis atq́; motus voluntatis, non à carne orta, ſed virtute ſpiritus DEI, per

ver-

verbum inchoata & ſignaculis iuſticiæ obſignata, cuius fiducia intrepide Deum accedimus et ſine hæſitatione credimus delicta nobis in vniuerſum remiſſa eſſe, noſq; in Dei fauorem & cognationem aſcitos & preces exauditas propter vnicum vnici ſoſpitatoris & vindicis IEſu CHriſti meritum, qui voluntarie poſt maximas ærumnas & inenarrabiles labores & dolores, corpore & animo exanthlatos vitam morte acerbiſsima profudit: vt ſic per ſanguinem ſuum, victis & obtritis hoſtibus generis humani, & fracto iugo legis, mortis, iudicij & inferni, ac deletis demerſiſq; in profundũ peccatis, nos per verã in ipſum fidem, iuſticiam, pacem, ſpem, conſolationem, opem & auxilium aduerſus omnes aſſultus hoſtiles externos & internos, ac tandem cœleſte gaudium in ipſo conſequamur. Ioh: 3.

Johan. 3.
Matth. 15.

Huic indubitatæ fidei noſtræ iuſtificatio tribuitur, & ei ſoli ad ſalutem vim ineſſe dicimus,

Rom. 3. 4.
Actor. 10.
Heb. 4. 11.

non quod ex ſe meriti pondus affe-
rat: ſed quod in nobis, vt dixi, inſtru-
mentum exiſtat, et veluti precioſus
annulus, gemmam ſalutis, filium
Dei, cum omnibus ſuis beneficijs in
verbo oblatis apprehendens et am-
plectens.

Hac igitur & nos ornati ad Thro-
num gratiæ & clementiæ diuinæ,
(quando euigilat et tanquã leo rugit
conſcientia noſtra, in ſenſu iræ Dei,
in metu mortis & damnationis æ-
ternæ, & quando cor & anima con-
tabeſcunt) accedentes intrepide ve-
niam pacemq́; Deum poſcamus, ei-
uſq; inexhauſtam gratiam & cle-
mentiam, vnicam ſalutis cauſam eſ-
ſe ſtatuamus, cuius ſolius donatio-
ne, nos ab omni inquinamenti labe
fœdiſsima & ſcelerum contagione,
imò ab omni condemnatione libe-
ratum iri credamus.

Et quoniam ſine hac ſaluari ne-
queamus, petamus cum diſcipulis,
eam in nobis augeri & à ſpiritu ſan-
cto in cordibus noſtris per auditum
verbi

verbi obsignari. Sicut Ephes. 1. di- Ephes. 1.
citur. Postquam credidimus, obsignamur etiam spiritu promissionis sancto, qui est Arrha hæreditatis nostræ, in redemptionem acquisitæ possessionis, in laudem gloriæ ipsius.

Atq; hæc de vera iustificatione & salutari conuersione, in qua agnitionem peccati sequitur dolor, dolorem confessio, confessionem fiducia, fiduciam iustificatio, iustificationem liberatio, liberationem beatitudo perpetua, cuius nos participes faciat Deus æternus per CHristum, Amen.

Pro hoc orabit ad te omnis sanctus, in tempore oportuno.

CVM nemini nostrum dubium esse debeat, quin gratuitam delictorum veniam per DEI misericordiam, plenè in Christo exhibitam, seria conuersione consecutus sit: diligenter videndum nobis est, quomodo hoc misericordiæ diuinæ κειμήλιον & quam nacti sumus beatitudinis spartam, perpetuò retinere & ornare queamus. Non enim satis est oblatam gratiam accipere & acceptam extemplò amittere: sed in ea ad finem vsque perseuerandũ esse monet CHristus ipse, Matth: 24. & Iohan: in Apocal: cap: 3. inquit: Esto fidelis vsque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ. Et quoniam videmus & indies experimur magnam humanæ naturæ fragilitatem & imbecillitatem,

tem, quæ idemtidem & momentis fere ſingulis vel in peccata relabitur, aſsiduiſq; cupiditatum flammis æſtuat: vel etiam in aduerſitatum quæ peccata ſequuntur concurſu fidem ſæpe facit langueſcere: ideo neceſſarium eſſe docet hac concione Propheta, omnibus, ſua quibus cordi eſt ſalus, cum ſanctis aſsidue preces ad Deum fundere & liberationem, cùm à peccatis, tùm alijs quibuſcunq; ærumnis vitæ præſentis humiliter petere, idq; ab eo, qui latibulum noſtrum fore & tutum receptum omnibus inuocantibus, aduerſus omnes aſſultus & impetus externos & internos concedere velle promittit: cui viciſsim, cum bonitatem tantam experti ſimus & periculis tantis erepti, nos gratitudinem perpetuam debere monet.

Partes concionis tres.

Verum potiundæ & retinendæ gratiæ & miſericordiæ Dei modum oſtendit, nominis diuini inuocationem.

Dul-

II. Dulcissima consolatio & promissio mirandæ liberationis piorum in cruce & tentationibus.
III. Quid DEO pro paterna custodia & liberatione vicissim debeamus.

DE PRIMO.

Pro hoc orabit ad te omnis sanctus tempore inueniendi.

QVod de se hactenus dixit, δεικτικῶς omnibus sanctis accommodat, ostendens quomodo eiusdem clementiæ diuinæ participes fieri queant.. Nempe vt precibus sanctis & in Christi merito fundatis, ad Deum seriò recurrant, ab ipso delictorum veniam implorent & ipsius opem & auxilium flagitent. Idque in tempore, dum nobis vltrò offertur Dei misericordia & nobis inueniri potest.

Con

Conſiderentur quinq; circum-ſtantiæ huius loci.

1. Quid faciendum? orandum.
2. Quis? omnis ſanctus.
3. Quare? pro hoc ſcilicet peccato.
4. Ad quem dirigenda oratio? Ad te.
5. Quando? tempore oportuno.

I. Circumſtantia.

Quid agendum? orabit.

Vnicum ſalutis eſt præſidium et in extremis neceſsitatibus ſacra veluti anchora, hocq; fidei noſtræ propugnaculum firmiſsimum & turris fortiſsima, ad quam qui confugerit ſaluus erit. Vt Salomon Prouerb: 18 loquitur: Nomen domini, ſeu ardens vera & in Chriſti merito fundata inuocatio nominis Dei, quæ animæ fidelis cum Deo colloquium eſt, quâ cauſam noſtram ipſi exponimus, nos ipſos dijudicamus, ſcelera noſtra deploramus, incitamenta ad malum accuſamus, cor noſtrum damnamus, gratiam imploramus, præſentiam boni-

Pſalm. 18.

Prouc. 18.

bonitatis aduocamus & gloriam eius deprædicamus.

Oſtendit igitur Propheta, modum quo liberationem à Deo impetramus, veram inuocationem in ſpiritu & veritate factam: quæ præſtari non poteſt, niſi animus vera contritione contuſus & veluti fractus, iram DEI expaueſcat & rurſus firma fide in promiſsionibus diuinis de gratuita condonatione delictorum & imputatione iuſticiæ per CHriſtum ſeſe erigat atq; ſuſtentet.

Hoc precandi ſtudium tanquam ſumme neceſſarium nobis ſæpiſsime commendat ipſe Deus. Et huic inuocationi noſtræ ac cultui licet imperfecto, in fide tamen facto, promiſsionem exauditionis addit & ſe ad ferendã opem aſtringit, ne vel indignitas noſtra, vel iuſticiæ ipſius ſeueritas, vel maieſtas nos terreat, verum intrepide nos accedere iubet, certoſq; de exau-

exauditione facit, ſicut dicitur Pſalm: 50. Inuoca me &c. Pſalm: 145. Prope eſt dominus omnibus inuocantibus eum, inuocantibus in veritate. Ioel: 2. Quiſquis inuocauerit nomen domini ſaluus erit. Iohan: 16. Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Lucæ 11. Petite & accipietis.

Noli igitur abijcere precandi ſtudium (inquit Chryſoſtomus) ſed accede quamuis peccator vt gloria afficias dominum tuum & præbeas ei occaſionem: vt conſuetam ipſi placabilitatem in condonatione tuorum peccatorum tibi oſtendat.

II. Quis? Omnis ſanctus. Credentes ſic vocat, à Spiritu ſancto ſanctificatos in verbo, quamuis adhuc infirmitates circumferant & in delicta ex fragilitate naturæ labantur. Nam cum vires omnes interiores & exteriores corruptibilis, naturæ inquinamento à paren-

tibus

tibus in vniuerſam poſteritatem propagato, deprauatæ & proſtratæ ſunt, non poteſt non homo idem tiſdem creatori ſuo & legi ipſius reſiſtere, inq; peccata facili ac leui momento impelli. Omnes enim egent gloria Dei, omnes declinauerunt & inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum ne vſq; ad vnum. Iere: 17. peruerſum eſt cor hominis & in omnibus miſerum & imperſcrutabile. Eſa: 64. Omnes ſumus immundi & ſimiles panno polluto. Quis enim mundus à ſorde? Inquit Iob 25. Ne vnus, etiamſi vita eius vnius diei tantum ſit. Roman: 7. Scio quod in me nihil boni habitat.

Rom. 3.7.
pſalm. 14.
Gene. 8.
Jerem. 17.
Eſai. 64.

Teſtimonium igitur firmiſsimum eſt in renatis ſeu ſanctis etiam habitare peccatum, & aſsiduis cupiditatū flammis eos æſtuare, quæ in actus ſæpe prorumpunt. Ac propterea eos etiam egere gratia Dei, opus habere remiſsione & aſſidue petere debere peccata condonari, ſeq; verbo & ſpiritu DEI gubernari.

Dein

Deinde etiam ſanctos poſt acceptam gratiam ſecuros non eſſe, ideo ſemper in timore Dei viuant, imbecillitatem agnoſcant, Sathanæ inſidias caueant, ſuis viribus diffidant & auxilium Dei implorent.

Tertio docet Propheta nullo alio modo ſanctos vnquam liberatos eſſe, niſi ſola imploratione miſeridiæ diuinæ & fiduciâ mediatoris, ſe recipientis. Falſam igitur & fallacem eſſe monachorum, Phariſæorum & aliorum fanaticorum hominum opinionem dicimus, qui ſe numero peccatorum eximunt, ac ſibi & ſanctis Dei, talem ſanctitatem propter opera operata, non perfectionis ſolummodò, ſed ſupererogationis (vt vocant) attribuunt: quæ ſeuero DEI iudicio opponi poteſt.

Contrarium verò concludimus nos, fieri non poſſe, vt noſtræ innocentiæ patrocinio nixi, in Dei iudicio conſiſtamus, ante cuius oculos nil niſi culpa ſumus.

Quia igitur quotidie peccamus, quotidie etiam veniam petamus, dicentes quod Christus ipse in oratione præcari iussit: Remitte nobis debita nostra, &c.

III. Quare orandum ? pro hoc (inquit Propheta) scilicet peccato seu onere.

Initium omnis inuocationis debet esse veniæ deprecatio: quamdiu enim inpeccatis manet homo et Deo reconciliatus non fuerit, nihil prorsus impetrat vel sanctissimus quisque. Est enim peccatum omnis felicitatis obstaculum et veluti fons & causa omnis afflictionis, quo obstructo, omnes etiam riuuli iræ DEI & commeritarum pœnarum exsiccantur. Ideo & CHristus paralytico peccata initio remittit, quibus sublatis, mox eidem & sanitatem restituit.

Matth. 9.

Danda igitur opera est, vt initio nobis beneuolus & propicius sit DEVS & peccata à nobis quam citissimè & longissimè, per Christum

ſtum amoueantur, ne vel ſalutis noſtræ fontem obſtruant vel auxilium Dei à nobis propellant: fruſtra petuntur alia niſi principio hoc amotum fuerit.

IIII. Ad quem dirigenda oratio? Ad te. Fides & inuocatio nullum aliud ſalutis obiectum habent præter ſolum Deum, qui ſe mentemq́ ſuam nobis in verbo aperuit, ſeq́ exorabilem, adeoq́ precibus noſtris obuium fore promiſit. Solus hic nouit mentem & cogitationes noſtras, ſolus ſcrutatur renes et corda, ſolus nouit quæ ſaluti conſentanea ſunt, ſolus poteſt iuuare & omni ope deſtitutis ſuccurrere, apud hunc ſolum propiciatio eſt: Solus igitur inuocandus; hunc fides noſtra intueatur, ab ipſo tota expectatio noſtra pendeat, in ipſo tota ſpes hæreat & acquieſcat. Pſal: 50. Inuoca me in die tribulationis, &c. Pſal: 145. Prope eſt dominus omnibus inuocantibus eum. Ioel: 2. Omnis qui inuocauerit nomen

domini ſaluus erit. Ioh: 16. Quidquid petieritis, &c. Act: 4. Non eſt aliud nomen datum ſub cœlo in quo ſaluari oportet, &c. Actor: 10. & 13. Notum ſit vobis viri fratres, quod per hunc remiſsio peccatorum vobis communicatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis per legem Moſis iuſtificari, per hunc omnis qui credit iuſtificatur.

Si quis noſtrum igitur de ſua velit certus eſſe ſalute, hunc ſolum ſapientem, potentem, benignum Deum, qui filium pro nobis mortuum & reſuſcitatum dedit, fidei oculis intueatur & alloquatur, cuius ductu & interceſsione intrepidè ad eundem patrem accedimus & ſpiritum interpellantem pro nobis, impetramus.

Errant proinde, imò toto cœlo errant, qui alios ſibi ad Deum ductores & interpellatores eligunt, cum hic vnus ſolus ſit mediator Dei & hominum homo Ieſus Christus. 1. Timoth: 2.

Quan-

V. Quando orandum? tempore oportuno, ſeu vt in Hebræo eſt, tempore inueniendi.

Tempus oportunum vocat, tempus gratiæ & miſericordiæ diuinæ à Deo præfinitum, vt beneuolentiam ſuam per Euangelij prædicationem promulget, generis humani propter filium miſereatur, preces exaudiat, ſalutem impertiat & diræ mortis ac paſsionis CHriſti meritum cunctis liberaliter offerat.

Hoc ſalutis tempus toti mundo ſol iuſticiæ IEſus CHriſtus ſalutari ſuo exortu adduxit, & hac ſua luce hodie adhuc per verbi ſui miniſterium piorum mentes irradiat, corda illuſtrat & veluti prætenſa face viam ſalutis monſtrat & ad reconciliationis beneficium inuitat. De quo Eſaias 49. & Paulus 2. Corint: 6. In tempore accepto exaudiui te & in die ſalutis ſuccurri tibi. Ecce nunc tempus acceptum, nunc dies ſalutis.

Eſa. 61.
Eſa. 49.
2. Corint. 6.

Cùm igitur nobis etiam illuxerit hic dies salutis, & discussis mentis nostræ tenebris in cordibus nostris Lucifer exortus sit: caueamus diligenter ne si hodie audiuerimus, vocem domini Dei nostri obturemus corda nostra sicut in Meriba & Massa vel ipsum nobis sese offerentem reiiciamus, aut ad precandum pigrescamus: quin potius dum præciosi temporis huius vsura nobis conceditur, attente circũspiciamus, ne, quam occasionem audiendi verbum Dei negligamus, aut vllam inuocandi nomen Dei oportunitatem effluere sinamus. Hanc etenim si neglexerimus, breui ianuam salutis clausum iri omnibus, qui tempestiuè ingressi non fuerint experiemur: tunc vicissim clamabunt & non exaudiet, mane quærent & non inuenient, tunc respondebit illis quod fatuis virginibus, Matth: 25. Amen dico vobis nescio vos. Quæramus igitur dominum dum inueniri

Hebr. 4.

Esai. 55.

niri poteſt, inuocemus dum prope eſt.

DE SECVNDO.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum nõn approximabunt. Tu es latibulum meum: libera me.

SEcundus locus habet dulciſsimam conſolationem, opponendam omnibus ærumnis & tentationibus vitæ præſentis. Nam cùm Eccleſia cruci, dùm à domino peregrinatur, ſubiecta maneat: iuxta dictum. Omnes qui pie volunt in Chriſto Ieſu viuere, perſecutionẽ patientur, 2. Tim: 3. Nunquã enim bella bonis, nunquã certamina deſunt, ſed quo cum certet, mens pia ſemper habet: ideo ad hanc inſignẽ conſolationem, tanquã ad ſalutis tabulam & dulciſsimam promiſsionem auxilij diuini accurrentes, vere ſtatua-

Matth. 9. Actor. 14. Pſalm. 68.

mus Deum, vindice manu nos protecturum esse & latibulum fore tutissimum aduersus omnes omnium calamitatum procellas & tempestates sæuissimas, ne ijs obruamur.

Alludere videtur Propheta ad terribilem diluuij historiam, quo deleti & absorpti sunt omnes primi seculi homines, absque pœnitentia secure viuentes: Noë verò cum suis in arca latentibus, saluus & incolumis euasit. Ad eundem modum & pij in communionem fauoris diuini asciti, in aduersitatum tempestatibus, iræ Dei & calamitatum procellis, concitatisque persecutionum fluctibus, tuti & immunes sub vmbra alarum ipsius sperabunt, absorptis & deletis omnibus impijs.

Psal. 15. 69.

Diluuium igitur aquarum significat omnia omnis generis mala, tentationes maximas crucem & afflictiones, seu vt Paulus loquitur: intus pauores, foris pugnas, quales

vber-

vbertim è fonte peccati quotidie fluunt & emanant, vtpote conſcientiæ terrores, iræ Dei ſenſus, iudicij diuini metus, legis execratio, bella, fames, peſtis, perſecutio & ſexcenta alia mortis horrenda ſimulacra, quorum procellis & fluctibus impetitur & concutitur mirum in modum genus humanum propter peccata, præcipuè verò Eccleſia, quæ ſimilis cimbæ, ſæuiſsimis agitata procellis, plena rimarum, remigibus animum ferè deſpondentibus, iam iam inter procellas & concitatos fluctus merſura & interitura videtur: illud tamen ipſum languidum, miſerum & ſqualidũ corpus Eccleſiæ, plenum ærumnarum, perpetuò manebit, & conſeruabitur, ne ad eam pertingat diluuium, aut cum læſione tanget.

Seruiunt hæc noſtræ inſtructioni & conſolationi, hoc præſertim periculoſo tempore, quo videmus, omnia fatis in peius ruere & retrò ſublapſa referri, & experimur Sa-

thanam omnia ſua arma expedire, omnia ſua artificia experiri, omnes neruos ſuos intendere rerumq́ꝫ omnium ſatagere, vt nos noſtraq́ꝫ omnia deleat atq́ꝫ peſſundet,

Videmus hodie magnas rerum perturbationes, et confuſiones, quibus naturæ veluti ordine inuerſo, cuncta ſurſum & deorſum feruntur, oriuntur calamitates publicæ & priuatæ, bella, famis, peſtes, eſtq́ꝫ vt Poëta ait: plena terra malis & plenum mare, &c.

Exulat in mundo hodie Chriſti Eccleſia, expoſita ſæuiciæ & crudelitati tyrannorum, magna imperia eam premunt & dentibus plus quã Cadmæis lacerant & dilaniant. Terribilis hodie cunctis Chriſtiani orbis incolis eſt, non modò tyrannis Turcica, qua fertur in arua furens campoſq́ꝫ per omnes, cum ſtabulis armenta trahit: ſed etiam immaniſsimus furor pontificiorum, qui blaſphemos cultus & manifeſtas doctrinæ cœleſtis corruptelas &

quaſ-

quaſuis impietates mordicus tuentur: quorum edicta & monitoria ſanguine piorum ſcripta, quotidie recrudeſcunt & percrebreſcunt.

Initum eſt fœdus arctiſsimum, liga (vt vocant) ſancta, inter præcipuos & potentiſsimos mundi monarchas, à quibus etiam claſsicum decantatum eſt, vt religionis noſtræ, quam profitemur, authores & ſectatores, ipſo Turca nocentiores, tollant, & tanquam ad commune incendium reſtinguendum, omnes vires conuertant, ignitis etiam adhibitis cauterijs, exquiſitiſsimiſq; tormentis et ſupplicijs extremis, pios neci tradant & à facie terræ deleant: eò, quòd Eccleſiam illorum Catholicam, vt vocant, impugnent, ritus pontificios et illorum ſacra condemnent, reſpub. turbent, pontificē ſuis redditibus & honoribus ſpolient, pluſq; noceant humano generi, quam vel Mahometus crudeliſsimus, vel hoſtes Euangelij Chriſti pernicioſiſsimi.

In

In his tantis malorum procellis, ac persecutionum & confusionum fluctibus, nequaquam succumbat mens nostra, aut animum despondeamus: sed promissione & consolatione hac erecti, verè statuamus diluuium aquarum ad nos non pertingere. Rationem addit Propheta, facta ad Deum Apostrophe.

Tu es latibulum meum.

Comparat protectionem diuinam latibulo ferarum, quò in tempestatibus fugere & sub quo tutò requiescere possunt. Eodem etiam modo se immunem à periculo & aduersitatum tempestate fore prædicat, non quod tuta in regno suo præsidia collocata habeat, aut armorum apparatu instructus, aut militaribus copijs vndequaque stipatus sit: sed quia Deum tutissimum Asylum, & veluti locum abditum ac bene munitum habeat, in quo tutus aduersus violentiam hostium & assultus omnium aduersitatum late-

latere queat. Tu inquit latibulum, tu munitio, tu refugium meum, in te igitur ſperabo.

pſalm. 18.

Hac tanta loquendi libertate, cum Propheta omnibus pijs vti licebit, & cum maxima alacritate animi ad hunc DEVM accurrere, quando à mundo & Diabolo ad perniciem ſui quæruntur. Is enim perpetuò Eccleſiæ ſuæ in rebus triſtibus & calamitoſis abſconſio & latibulum erit, pro populo ſuo firmiter ſtabit, atq; iniecto naribus hoſtium ſuorum annulo, metam certam, quouſq; graſſari licebit, præſcribet & conſtituet: ſicq; pios ſub vmbra alarum ſuarum ſperantes & latentes, contra vaſtatrices flammas & omnia Diabolicæ & humanæ ſæuitiæ exempla clementer proteget, ne in diluuio aquarum abſorbeantur vel opprimantur. Sic dulciſsime dicitur, Eſa: 43. Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu: Si tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina

mina

mina non operient te, ſi ambulaueris in igne non combureris & flamma non ardebit in te, quia ego dominus Deus tuus, ſanctus Iſraël, Saluator tuus.

Tale latibulum fuit populo ſuo in Ægypto & tandem per medium mare, cedentibus & viam facientibus aquis, traduxit, ſubmerſis omnibus hoſtibus eius.

Ipſe latibulum fuit Eliæ contra inſultus Achab. Ipſe murus fuit igneus in circuitu Eliſæi contra Syrios: inter horribiles lanienas, bella, confuſiones, certamina & pericula regni Babylonici & Perſici ſeruauit ſanctum agmen & pias reliquias: Danielem è faucibus Leonum eripuit: pueros in κονευτηρίῳ ignis æſtuantis illæſos inter medias flammas ſeruauit: exacta fatali periodo regni Iudaici, ruente templo & politia excerpſit ſibi puſillum gregem, cui latibulum fuit tutiſsimum. Sic Eccleſiæ corpus omnibus temporibus ſeruauit & etiamnum

amnum hodie mirabiliter (etiamsi in aliquot sæuitur membra) contra omnes furores & hostiles machinationes Sathanæ & membrorum eiùs clementer & potenter tuetur & conseruat, nec portæ inferorum aduersus eam præualebunt. Matth. 16.

Non igitur ad humana præsidia, non ad brachium carneum, non ad illicitas artes & media, sed ad hoc latibulum tanquam tutissimum receptum & firmissimum propugnaculum in aduersitatibus confugiamus. Huc oculos, si quando terrorem mentibus tristis rerum facies inculcet, conuertamus, non animis frangamur, nec potentiam Diaboli vel mundi cohorrescamus, etiamsi terra hiscere, cœlum ruere, aut fluctus maris nos obruere videantur. Maior enim est, qui in nobis habitat, quam qui in mundo. Item, fortis sonitus aquarum multarum: fortior in excelsis dominus. Item, Psalm. 92. Psalm. 93.

Nisi

psal. 124. Nisi dominus fuisset nobiscum, tum viuos deglutiuissent nos, tunc aquæ absorbuissent nos.

DE TERTIO.

Libera me vt liberatus laudem te.

DAnti rependi nihil gratius ab accipiente potest, quam si gratum habuerit, quod gratis accepit, inquit Bernhardus. Id etiam animaduertens Propheta, nihil videt in suis viribus esse, etiamsi rerum externarum copia & affluentia abundaret, quod DEO pro summis beneficijs gratius rependere possit, præter gratam eorum prædicationem. Ideo promittit ei sacrificium laudis seu veram animi gratitudinem, cùm pro alijs donis & bonis, tùm maximè ob liberationem à peccatis & pœna eorundem.

Hæc beneficij accepti memoria & celebratio, pars est spiritualis cultus

tus Dei, quem ab omnibus requirit Dominus: vt ipsum omnis boni fontem, à quo beneficia spiritualia & corporalia, positiua & priuatiua largissimè ad nos fluunt, agnoscamus, ipsius sapientiam celebremus, potentiam, misericordiam & inexhaustam bonitatem memori mente prædicemus & iustis honoribus debitã ipsi gratiam persoluamus, iuxta dictũ, 1. Thess: 5. Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei, in CHristo IEsu in omnibus vobis.

Consistit autem hic cultus, seu hæc gratiarum actio, non in prædicatione tantum beneficiorum diuinorum, quæ verbis solummodo fit: sed in corde & tota vita nostra: vt piè & sanctè viuamus in timore ipsius: quod ore dicimus, corde retineamus, quod corde retinemus, operibus exprimamus, in angustijs passionum patientiam declaremus, de proximo nostro, præcipuè do-

mesticis fidei, benè mereri studeamus, ad singula beneficia Dei, ipsi in donis suis benedicamus, & sine intermissione ipsum celebremus: in prosperis, quia consolatùr: in aduersis, quia corrigit: antequam essemus, quia fecit nos: cum essemus, quia salutem dedit nobis: cum peccassemus, quia ignouit: cum conuersi essemus, quia iuuit: cum perseuerassemus, quia coronauit. Vt pie Augustinus super, Psalm: 71. loquitur.

Cùm itaq; Dei beneficia & præsentia & præterita & futura, materiam & occasionem laudis et gratiarum actionis nobis hodie vberrimam subministrent: ideo etiam nos omnes & singuli, vota nostra DEO reddamus, & grata voce & mente hostiam laudis immolemus, ardenti motu intimi pectoris nostri dicentes.

Recitetur nunc huius diei precatio Danica, infra suo loco posita.

PRE-

PRECATIONES ET LECTIONES SINGULIS *diebus recitandæ.*

PRECATIO PRIMÆ DIEI.

O Euige Alsommertige taalmodige oc langmodige Gud/ Wi arme elendige syndige Menniske ere paa denne neruerendis dag oc sted tilhaabe kommen/ oc met ydmyge Hiertens suck træder nu frem for dit Naadis Ansict at affbede voris wtallige Synder oc Offuertrædelser/ som wi bedreffuit haffuer/ huorfore wi nu Hierteligen bekiende oc begræde vore Synders mangfoldighed oc misgierningers verstyggelighed/ oc oplader for dig i dag vort syndige Liggendefæ / huilcket wi dit hellige Naffn til vanære/ vor fattige Næste til skade/ oc oss selff til euig straff oc fordømmelse/ fra første Vngdoms tid til denne neruerendis stund samlit haffuer / oc bekiender din wsigelige godhed/taalmo-

dighed oc langmodighed at vere eniste aarsage/ at wi icke lenge siden ere ødelagde oc plat forderffuede / effter som wi alle oc huer retfærdeligen fortient haffde. Men du aff samme din store Naade haffuer sparit oss/oc giffuit oss tid oc rom til salig Penitentz oc Omuendelse/oc oss daglige indbødit til din Naadis rigdom/for huilcke wi tacke oc priser dig aff voris gantske Hierter oc Sind.

Oc effterdi du kiender/oc wi bekiender voris Kiøds tryghed/voris Hiertens haardhed/voris sinds forblindelse oc voris vilies genstridighed/saa wi intet andit for naturlige suaghed kunde giøre/ end samle oc formere/tid effter tid/ din vredis Liggendefæ paa Domsens dag. Derfore bede wi dig for din wsigelige godhed oc din kieriste Søns JEsu Christi døds skyld / omuent voris haardnackede sind / Blødgiør voris haarde Hierter/oplius voris mørcke forstand/oc bøye voris genstridige vilie met din hellig Aand / at wi aluorligen kunde i dag omuende oss

til

til dig begræde voris Synders mang-
foldighed oc slemhed/ oc aff dig bekom-
me Naade oc Synders forladelse i Je-
su Christo/ Giff oss krafft oc styrcke
her effter at kunde modstaa Synden/
Kiødet/ Dieffuelen oc alt ont/ bliffue
faste vdi troen/ haabet/ taalmodighed/
oc alle gode Gierninger indtil enden/
saa wi paa Domsens dag/ naar den
Retfærdige Dommere/ vden alle Per-
soners anseelse skal betale huer effter
sine Gierninger/ maa endelig befries
fra vrede/ angist oc pine/ oc met alle
Vdualde bekomme det wforgengelige
væsen/ Ære/ Liff oc Glæde/ ved Jesum
CHristum vor eniste Gienløsere oc
Talsmand/ huilcken vere met dig oc
den hellig Aand ærit oc bene-
didet i Euighed/
Amen.

Epiſtola Rom: 2.
An diuitias bonitatis, &c.

Euang: Lucæ 13.
Initium: Dicebant & hanc ſimilitudinem arborem fici habebat quidam.
Finis: Succides eam in futurum.

PRECATIO SECVNDÆ DIEI.

O DV miſkundige / milde oc Barmhiertige Gud oc allerkieriſte Fader / Effterdi at all vor Salighed oc euige velfært henger paa din eniſte Naadis oc Retfærdigheds delactighed / i det / at du aff din wſigelige godhed forlader / met din Søns Retfærdighed betecker / oc aff din ſtore Barmhiertighed icke tilregner nogen deris Synder / ſom aluorligen ſig til dig omuender/oc Hierteligen vden ſuig bekiender oc begræder deris miſgierninger. Derfore bede wi dig O Naadige Gud / at du ved din

din hellig Aand vilt opuecke oc røre voris Sind oc Hierter/ at wi aluorligen vden all hyckleri vdi denne dag oc voris gantske Liffs tid/ kunde begræde oc bekiende vore wtallige Synder/ oc ydmygeligen derfore sucke oc bede til dig aff Hiertet.

Ah naadige Fader/ forlad oss alle vore mangfoldige oc slemme offuertrædelser/ Skiul oc betecke alle vore Blodige Synder/ Oc naadeligen vdslet alle vore misgierninger/ oc det for din enbaarne kieriste Søns det wbesmittede Lams Jesu Christi Blods oc beske Døds skyld. Du naadeligen stille oc trøste vore bange oc wrolige Samuittighed/ lætte du vore syndige byrde/ oc læge vore arme Saargiorde Siæl/ giør du oss delactige vdi din euige naadis Rigdom/ oc iføre oss din kiere Søns Jesu Christi hellige oc rene Retferdighed. Vent din vrede fra oss/ oc borttag all Syndsens retferdige heffn oc straff/ huilcke wi en oc huer vel fortient haffuer. Styrcke ocsaa vor suage tro/ at wi fast oc sta-

deligen paa denne din Søns fortie-
niſte oc din Naade oc Barmhiertighed
oſſ forlade / oc ſætte all vor haab oc til-
lid til dig / oc ſamme voris Chriſtelige
tro met Gudelige Leffnit oc Kierlig-
heds Gierninger beuiſe / oc der vdi
bliffue beſtandige til enden / at wi ſi-
den effter en ſalig affſked oc vdgang
aff denne vſle Jam̃erdal maa bekom̃e
met alle dine kiere Børn det euige Liff
oc Salighed / oc det for ſamme din el-
ſkelige Søns JEſu Chriſti ſkyld /
huilcken leffuer oc regnerer met dig
oc den hellig Aand / en ſand
leffuende Gud i all
Euighed /

A M E N.

Epiſto-

Initium: Credidit Abraham Deo.
Finis: Cui non imputauit dominus peccatum.

Euang: Matth: 11.

Venite ad me, &c. Vsq; ad finem capitis.

PRECATIO TERTIÆ DIEI.

O Fromme / trofaste oc leffuen-
dis GUD / Wi dine fattige
Børn aff gantske Hierte si-
ger dig prijs / loff / ære oc Tacksigelse
for alle dine wsigelige Velgierninger /
Aandelige oc Legomlige / Timelige oc
Euige / huilcke du aff din godhed oss
alle oc huer ideligen giort oc rundelige
beuist haffuer / Besynderlige at du
haffuer skenckit oc giffuit oss din kiere
Søn JEsum Christum / oc ved han-
nom anammit oss til din kundskaff oc
Naade / oc nu tilgiffuit oc forlat oss
alle vore fremfarne blodige Synder /

oc oss betæcker met samme din elskelige
Søns JEsu Christi wskyldighed oc
Retfærdighed. Oc effterdi wi icke
kunde afflegge voris syndige Nature/
icke heller ere aff oss selff mectige at
imod staa samme vort Kiødis oc Na-
turis skrøbelighed/Dieffuelens listig-
hed/ Verdsens forfengelighed/ eller
andre vore Fienders mectighed oc be-
hendighed. Derfore bede wi dig/at du
ved din hellig Aand vil hielpe oss/ at
wi ideligen oc Hierteligen kunde be-
de oc paakalde dig/ oc i denne beha-
gelige Naadsens tid/ huilcken Ret-
færdighedsens Soel JEsus Christus
vdi sit salige Ord lader skinne offuer
oss/ kunde retsindelige vandre for dig/
oc idelige frycte oc tiene/ loffue oc pri-
se dit hellige Naffn/ saa wi maa nyde
oc beholde din hielp oc trøst/ oc aff dig
beskiermis fra all wlycke oc fare/ Ver
du voris Tilfluct oc faste Borge imod
all vor anliggende nød oc fare.

Beuare din fattige/ elendige Chri-
sten Kircke/ oc opholt dette lille Skib/
at det icke aff de brusende Vandbøl-

ger nedsiunckis eller fortrengis / Lad icke Salighedsens Lius for voris store wtacknemmelighed / hos oss vdsluckis / Men for dit hellige Naffns æris skyld beuare Ordit oc Sacramenterne rene oc wforkrenckede/fra all vrang Lærdom oc vildfarelser. Holt alle tro Christne Lærefedre oc Tilhørere i din sande fryct / Lad det Guddommelige Ordis sæd giøre fruct vdi alle vore Hierter/ oc hielp oss der vdi at bliffue bestandige til enden.

O mectige Gud oc HERre/du oc naadelig beuare disse Lande oc Riger vdi en bestandig Fred oc Rolighed/ Lad dine hellige Engle sla en fast Vognborg omkring oss.

Du velsigne oc benedide voris Høybaarne Førstinde oc naadige Dronning / Dronning Sophia / oc hinde naadelig beuare vdi all lycksalige velfært til Liff oc Siel.

Holt vnder din Guddom̃elige beskyttelse vor allernaadiste Printz oc vdualde Konning Hertug Christian/oc ved din Almectige Haand oc hellig Aand/

beuare

beuare hannom vdi din frycť / Regie-re hannom met en Førstelig aand / oc hannom beskytte fra all wlycke oc fa-re / giffue hannom fremgang vdi all viisdom oc forstand / lycke oc velfart / sundhed oc salighed / at hand maatte bliffue din hellige Kirckis Fosterfa-der / oc ved din Almectige krafft oc bistand vdi sin tid regiere disse Riger oc Lande / dit helligste Naffn til ære / oc oss alle til it roligt oc Christeligt Leffnit.

Du benedide oc beuare de andre vnge / Høybaarne Herrer oc Frø-ueckener oc det gantske Kongelige Hus / Lad dennom opuoxe vdi all Gu-delighed / dyd oc fromhed.

Velsigne oc beskierme vor Naadi-ge Printzis forordinerede Regierendis Raad / met de andre Velbyrdige Ri-gens Raad / Lad din hellig Aand op-liuse / Regiere oc ledsage dennom vdi all viisdom oc forstand / at de maatte giøre Dom oc Retfærdighed / oc bru-ge det Verdslige Suerd din Christ-ne Kircke til beskiermelse / disse Lan-de

de oc Riger til Fred oc god Politi/ oc dennom selff oc oss til euig Sa-lighed.

Beuare oc disse Rigers Adel oc Ridderskaff / oc all anden Øffrighed/ met menige Jndbyggere oc Vnder-saatte/ vdi enighed oc samdrectig kier-lighed/ Beuare oss fra Dieffuelens oc alle Christendoms Fienders Tyran-ni / Forræderi oc trædske anslag / aff-uent alle Landplager/ Krig oc Oprør/ Blods vdgydelse/ Mord/ Brand/ Pe-stilentze / Dyr tid/ oc all anden feendis wlycke oc fare / oc giff oss din velsig-nelse til Land oc Vand/ Saa ville wi met Hierte / Mund oc gantske Leffnit tiene oc tacke / prise oc ære dit hellige Naffn euindelige. Du som leffuer oc regnerer en sand GVD met din Søn oc hellig Aand fra nu oc til euig tid/
Amen.

Episto-

Epistola Hebr: 5.

Initium: Habemus igitur potificẽ.
Finis: Ad oportunum auxilium.

Euang: Lucæ 18.

Initium: Dixit eis parabolam.
Finis: Vindicabit eos cito.

HAFNIÆ
Excudebat Iohannes Stockelmannus.

ANNO

M. D. XCII.